



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Ex Physica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

PHYSICA.

TAmetsi versetur Physica circa res genera-
 biles & corruptibiles, nihilominus scientia
 est, dum eas secundum predicata universalia
 necessariò inter se connexa examinando, multa
 de objecto suo per causas necessarias demonstrat;
 neque enim objecti incomplexi corruptibilitas
 obstare debet scientiæ. Absolutè speculativa est,
 utpote in objecti seu ^{scilicet} pura contemplatione sub-
 sistens. Objectum illius primarium & attribu-
 tionis est corpus naturale, pro ut hoc significat
 substantiam completam, corpoream, constantem
 principio motus & quietis: quale quid minùs
 distinctè exprimitur per ens mobile; hoc enim
 etiam substantiis incompletis, imò rebus acci-
 dentalibus convenit. Objecta attributa sunt
 corporis naturalis proprietates, principia, cause
 & cetera, quæ unà cum corpore naturali, in cu-
 jus gratiam, & ad cujus meliorem notitiam
 considerantur à Physica, objectum ejusdem in-
 tegrant adequatum. Ratio verò formalis, quæ
 hoc objectum materiale ad considerationem
 physicam restringit, est naturalitas; quæ quia
 est, benequè exprimit principium radicale tam
 motus quàm quietis, pro radice prima proprie-
 tatum

ratum de objecto suo à Physica demonstrabilium assignatur melius, quàm mobilitas, quæ præterquam quòd formaliter mobile à mobili radicaliter non secernat, accepta etiam radicaliter, ad huc non exprimit, nisi principium motus solius.

DISSERTATIO PRIMA

De Principiis corporis naturalis in genere.

I. **P** Rincipium latissimè sumptum, pro-
convenit principiis tã productivis seu
extrinsecis, quale est causa efficiens, quæ con-
stitutivis intrinsecis, quale est materia respec-
ctu compositi; tam cognoscitivis, quale est
quidlibet ducēs in cognitionē alterius, quàm
quibuscunq; rerum initiis, definitur ab Aristotele
unde aliquid est, fit, aut cognoscitur: importat
prioritatem quamcunq; & unius cum altero
connexionem, sive unius, ex alio quamcunq;
consecutionem. Principia corporis naturalis
intrinseca dicuntur: *quæ neque ex se invicem,*
nec ex aliis, ex ipsis autem sunt omnia: intelli-
ge, composita substantialia materialia, quæ
ordinario modo & per causas efficientes se-

cundas in hoc mundo producuntur; acci-
piendo τὸ omnia juxta accommodam distri-
butionem, nempe quòd omnia in communi
accepta composita fiant ex omnibus in com-
muni principiis, singula verò composita ex
suis in particulari principiis: unde principium
in singulari definiti potest: *quod non est ex a-
lio, ex ipso autem fit corpus naturale.* Porro
particula *ex* tertio repetita ubique in eodem
sensu est accipienda, ut sensus sit hic: princi-
pia sunt, quæ neque fiunt ex se invicem, neq;
ex aliis in eodem principiandi genere, in quo
sunt principia, & ex ipsis in eo genere, in quo
sunt principia, fiunt omnia; sic v. g. privatio
non fit ex alio termino privativo à quo, nec
materia ex alio tanquam subjecto &c. & ex
privatione tanquam termino privativo à
quo, ex materia tanquam subjecto fiunt om-
nia. Vel etiam ut sensus sit hic: principia
sunt, quæ neque ex se invicem sunt, ne-
que ex aliis tanquam ex principiis elemen-
taribus, physicis & essentialibus, ex ipsis au-
tem tanquam ex principiis elementaribus
(quale dicitur illud, cujus essentia est indi-
visibilis in plura entia specie distincta,
quodque inexistit principiato, ut ejus con-
stituti-

stitutivum essentialiale physicum) fiunt omnia
 Unde nec materia est principium formæ; licet enim hæc, si materialis est, fiat ex materia eductivè, non sit tamen ex ea compositivè, tanquam ex principio elementari inexistente materiæ: neque partes integrantes sunt principia totius, quia ad principium elementare requiritur, ut sit pars essentialis totius: neque elementa sunt principia mixtorum; quia & ipsa componuntur ex materia & forma, in se super non inexistunt mixtis formaliter.

II. Principia corporis naturalis in fieri per mutationem, seu principia generationis, quantum est mutatio, terminativè accepta (generationis enim seu mutationis causaliter acceptæ, sive ipsius actionis generativæ, ut pote entitatis omnino simplicis, nulla dantur principia intrinseca physica) sunt tantum tria: *Materia, Forma, Privatio*. Ratio est quia tot præcisè sunt partes elementares seu constitutivæ hujus totius, quod dicitur corpus naturale in fieri per mutationem, seu generatio mutativa terminativè accepta, & definitur; esse transitus à non esse formæ ad esse formæ; hic enim est necessariò subiectum, quod transit, & hoc est materia; e

term

terminus privativus, à quo transit & is est
privatio formæ (ut enim materia censeatur
mutari, seu corpus naturale fieri per muta-
tionem, essentialiter requiritur, ut produca-
tur aliquid, cujus privatio immediatè ante
inerat materiæ) est deniquè terminus positi-
vus, ad quem transitur, & hic est forma: quæ
licet sit quid posterius generatione causaliter
acceptâ, utpote per quam producitur, non
est tamen quid posterius generatione adæ-
quatè, & objectivè seu terminativè acceptâ;
hujus enim pars est intrinseca, & non effe-
ctus, adeoque principium. Hinc liquet, præ-
ter hæc tria constitutionem hujus totius non
ingredi carentiam veteris formæ, cum vera
adhuc intelligi queat mutatio, etsi forma
nulla præcessisset in materia, aut etiam for-
ma vetus cum adveniente nova perseveraret.
Neque dispositiones; nam & sine his subsi-
stit mutatio, in quo casu tamen principia-
ret privatio remota. Mirum autem non est,
quòd privatio, quæ est non ens, unâ cum op-
posita sibi forma constituat hoc totum,
quod ex parte tantum est positivum, item
quod est successivum, partesquè suas habet
unione physica non unitas; ad hæc ratio

principii abstrahat ab ente & non ente, adeoque utriusque sit communis. Quod si Arist. privationem vocat principium per accidens, respectu corporis naturalis in facto esse vult esse talem.

III. Principia corporis naturalis in facto esse sunt hæc duo tantum, *Materia & Forma*; ex his enim duobus tantum componitur corpus naturale in facto esse. Nam subsistentia non requiritur ad corpus naturale complendum in ratione corporis naturalis, sed tantum in ratione suppositi; imò dici potest, subsistentiam materiæ cum materia, subsistentiam formæ cum forma constitutere unum totale principium; Unio autem, cum sit ratio formalis, per quam dicta duo principia in actu secundo principiant, non magis diversum ab iis constituit principium, quam actio seu causalitas causæ efficientis constituat principium extrinsecum diversum à causa efficiente.



DISSERTATIO SECUNDA

De Privatione.

I. **P**RIVATIO ut intelligatur meliùs, de negationibus quoque tractandum est. Dantur itaq; negationes necessariae & intollesibiles (quales sunt negationes rerù impossibilium) à rebus positivis distinctae, iisq; contradictoriè oppositae; tales enim negationes sunt negatio Chymærae, negatio identitatis Petri cum lapide, quae nulli enti positivo identificantur; nam entia positiva v. g. lapis per suam entitatem non est negatio Chymærae; aliud quippe est dicere: *Lapis per suam entitatem non est, vel est non chymæra*; aliud: *Lapis per suam entitatem est non esse, seu negatio chymæra*: hoc postremum falsum esse, inde patet, quod existentia lapidis præcisè non obstaret, quò minùs posset cum illo existere chymæra, dummodò hæc aliundè non implicaret: similiter aliud est dicere: *Petrus per suam entitatem non est idem cum lapide, vel est non lapis*, aliud: *Petrus est negatio identitatis cum lapide*; quae negatio necessariò tantum resultat ex entitate Petri; unde & hic dici

2 4

posset

posset negatio fundamentalis hujus identitatis. Dantur quoque negationes contingentes & tollibiles, seu rerum contingentium à rebus positivis distinctæ; tales enim sunt, negatio visus, negatio alterius mundi &c. quæ si identificarentur rebus possibilibus, sensus harum propositionum: *Iam est negatio alterius mundi: negatio visus inest lapidi &c.* esset hic: *iam alter mundus est possibilis: visus possibilis inest lapidi,* quas patet esse propositiones diversissimas. Si dicas, identificari rebus purè possibilibus; contra est, quòd illud, quod pura possibilitas dicit præter possibilitatem, sit negatio actualis existentia. Si dicas, esse res possibles, quatenus de illis formari potest propositio negativa vera; contra est: quòd hæc propositio: *alter mundus non existit:* ideo vera sit, quia est conformis objecto, sive quia reverà existit negatio alterius mundi. Si dicas, esse res possibles, quatenus connotant nolitionem Dei nolentis illas existere; contra est, quòd hæc voluntas, utpote actus Dei liber, debeat habere objectum, per quod compleatur in ratione liberi, quod hic aliud non est, quàm negatio mundi alterius. Neque hinc sequitur, objectum propositio-

positionis negativæ fore negationem, adeoque diversum ab objecto propositionis affirmativæ, & sic nunquam dandas contradictorias, quæ sunt de objecto eodem; quia objectum propositionis negativæ esse quoque identitatem, & non negationem (alias negaretur negatio, & sic propositio foret affirmativa) tradidimus in Logica. Neque sequitur has duas propositiones: *Antichristus jam est per se ipsum; Antichristus jam non est per se ipsum*: fore contradictorias simul falsas; quia posterior non est prioris contradictoria, cum sit ex parte affirmativa; non enim tantum negat, Antichristum jam existere, sed etiam affirmat, hoc non existere Antichristi convenire illi per seipsum. Dum autem Scriptura de tenebris loquitur veluti de ente positivo, loquitur metaphoricè. Dum Arist. inquit: privationem esse unam numero cum materia, non vult, illam identificari materiæ, sed non esse aliquid extra materiam existens. Dum privatio dicitur intendi, intelligi debet, intendi illam, non ratione sui, sed ratione formæ, pro ut pluribus vel paucioribus gradibus formæ privat. Dum privatio in concreto affirmatur, v g. *homo est cæcus*:

a s

affir-

affirmatur quidem purum nihil de subjecto positivo, sed expressum per vocem negantem certam tantum speciem entis, & non per vocem negantem omne ens, qualis vox est *nihil*, qua proinde de subjecto positivo affirmari nequit.

II. Negatio in genere est carentia entis positivi; pro ut opponitur privationi, est carentia formæ in subjecto inepto. Privatio est carentia formæ in subjecto apto, vel potius, est carentia unionis formæ cum subjecto apto; licet enim forma esset in subjecto, dummodo illi non uniretur, diceretur adhuc bene subjectum privatum tali formâ. Unde patet, privationem in obliquo importare capacitatem subjecti, vel tanquam intrinsecum sui constitutum, vel ad minimum tanquam terminum, ad quem dicat relationem quasi transcendentalem. Diversitatem non tantum numericam, sed etiam specificam desumunt privationes, non tantum à diversis numero vel specie subjectis, quibus suo modo insunt, sed vel maxime à formis, quibus opponuntur, specie vel numero tantum diversis; ratione quarum quoque alià est privatio substantialis, alia accidentalis; & pro ut
 sub-

subjectum proximè vel remotè capax est, uniri cum tali forma, alia est privatio proxima, alia remota.

III. Tollitur privatio positivè per unionem formæ oppositæ cum subjecto; negativè per destructionem subjecti capacis, & privatio proxima per ablationem dispositionum proximarum. Positâ autem re in uno loco, perit opposita illi negatio ubiquè, quod, si non fieret, res eadem simul erit simpliciter, & non erit simpliciter; est simpliciter; ad hoc enim sufficit, ut sit alicubi; non erit simpliciter; quia ejus negatio erit alicubi; sicut enim ad hoc, ut res sit simpliciter, sufficit, ut sit alicubi, sic ad hoc, ut non sit simpliciter, sufficit, illius negationem esse alicubi. Ex eo itaque, quòd Petro tantùm existente Coloniae, ille non sit Romæ, non sequitur, negationem Petri fore Romæ; sed negationem ubicationis Petri fore Romæ; eodem modo, ex eo, quòd posita ubicatione Petri Coloniae, tollatur negatio hujus ubicationis Coloniensis etiam Romæ & ubiquè, non sequitur, ubicationem Coloniensem Petri fore Romæ; quia ubicationem Coloniensem esse Romæ, præter

existentiam ubicationis Coloniensis dicit aliquid, per quod ubicatio Coloniensis sit, vel defigatur Romæ, nempe coexistentiam spatii Romani & ubicationis Coloniensis.

IV. Existit privatio proxima immediate ante generationem causalem, seu quando omnes dispositiones, exceptis iis, quæ una cum forma inducuntur) sunt in materia ad formam sequentem; existere enim non potest eo instante, quo fit corpus naturale, seu quando est generatio, quia tunc est forma illi opposita. Principiat quando primò est compositum seu generatio, & consequenter quando ipsa privatio primò non est, seu definit; quod enim se habet per modum transeuntis, seu termini, à quo receditur, quod quæ inexistit fluenter toti alicui fluenti seu successivo, eiq̃ue morali tantùm, seu non habenti partes suas omnes invicem unione physica multòque minùs permanente unitas quale est hoc totum; *corpus naturale in serie per mutationum*; adeo quæ dicit plura instantia (etsi generatio aliqua causaliter sumpta seu in quantum præcisè est productio formæ, sit instantanea) opus, inquam, non est, ut illud existat tunc, quando dictum totum existit

existit adæquatè seu secundùm ultimam sui partem, ut videre est in primo quadrante horæ, qui utiquè horæ inexistit. & tamen præterit, quando hæc est completè. Non sequitur itaq; privatio est actu principium pro instanti generationis, ergo tunc est: axioma enim illud: *verificata propositione de tertio adiacente, verificatur propositio de secundo adiacente*: non tenet in rebus privativis, successivis, essentialibus; sic malè infero: primus quadrans est initium horæ completæ, ergo est, dum hæc completur: item: homo moritur, sive est moriens, ergo est: hæc enim, uti & ratio, actualis principii transeuntis, important disfinere & destructionē rei, de qua dicuntur; unde etsi sint prædicata actualia, non supponunt tamen actualem suorum subjectorum existentiam. Dum autem dicitur primò: generationem immediatè sequi post privationem, intelligendū est de generatione causali, vel quòd hoc totum morale successivū: *corpus naturale in fieri per mutationem*: completè acceptum sequatur desitionē suæ primæ partis, sicut hora completè accepta pro ultimo minuto sequitur desitionem primi quadrantis. Dum dicitur secundò; privationem principia-

b

cipia-

icipiare desinendo, intelligendum non est, quòd ratio formalis principiandi privationis sit illius non esse seu desitio (aliàs forma foret ratio principiandi privationis, cùm esse seu introductio formæ sit formalissimè non esse seu desitio privationis) sed quòd desitio sit mera conditio ad hoc, ut actu principiet privatio, necessaria: ratio autem principiandi privationis sit ipsum esse privationis tendens ad non esse, seu importatum in ratione, recedentis, & principiet per suũ esse desinens, & non per desitionem sui esse. Dum deniq; dicitur: privatio principiat, quando primò est forma seu compositum, ergo non principiat corpus naturale in fieri; hoc enim tunc est in facto esse; malè concluditur, cùm fieri res non dicat instans antecedens factum esse rei, sed tantum præter factum esse dicat processionem rei extra causas, seu qualiter res procedat ad suum esse à non esse formæ, ubi necessario faciendã est mentio alicujus, quod nequit existere pro eo instante, quo res primò est in facto esse, principiari tamen potest rem eo instante; quia principiatio privationis & principiatio materiæ & formæ est simultanea.

DISSERTATIO TERTIA

De materia prima.

I. **M**ATERIA prima datur ut suppo-
 no, cum quotidie ab agentibus
 naturalibus multa de novo fiant, v. g. ex ligno
 ignis, ex igne cinis &c. sed hæc non fiunt ex
 nihilo; ex nihilo enim nihil fit, ergo ex aliquo
 subjecto, & hoc est materia prima; dicere
 hęc, illud, quod ita transit ab una forma ad
 aliam, esse aliquod mixtum ex quatuor ele-
 mentis, est admittere aliquod subjectum;
 insuper, ubi elementa in se invicem conver-
 tuntur, v. g. aqua in aërem, ibi saltem pro
 subjecto communi assignari non potest tale
 mixtum. Creatur illa à solo Deo; quia si
 generaretur, non esset subjectum primum:
 unde etiam est, quod non possit corrumpi;
 corrumpi enim in rigore dicitur illud, quod
 est in subjecto, & quia ex eo pellitur, perit
 vel etiam est, quod pereunte subjecto perit
 quoque, ut compositum. Neque dicitur ma-
 teria corruptibilis propter uniones suas in-
 tegrales corruptibiles, sicut homo dicitur
 absolutè corruptibilis propter unionem es-
 sentialem, corruptibilem; licet enim sine
 b 2 ali-

aliquibus indeterminatè unionibus integrabilibus esse nequeat materia, non tamen hæc magis sunt de ejus essentia, quàm ejus ubicatio & duratio.

II. Definitur ab Arist. quòd sit *subjectum primum* (in quo convenit adhuc cum Angelis, disconvenit cum formis, quæ sunt *subjecta secunda* suorum accidentium) *cujuscunque rei* (id est, *cujuscunque formæ*) *ex quo, cum insit, fit aliquid per se*; (id est, ex quo inexistente fit compositum substantiale) *et si aliquid corrumpatur, in hoc abibit ultimum*: quæ verba solius explicationis majoris gratiâ adjiciuntur. Ab aliis brevius hoc modo: *materia est substantia incompleta, receptiva formarum, tanquam subjectum simpliciter primum.*

III. Sicut habet essentiam propriam ab essentia formæ distinctam, sic etiam habet existentiam suam ab existentia formæ distinctam; essentiæ enim rerum & existentia non distinguuntur; aliàs existentia, utpote ens distinctum ab essentia, suam haberet essentiam & hæc essentia existentia vel est indistincta ab existentia, cujus est essentia, & existit per se ipsam; vel distinguitur ab ea, & existit per superadditam sibi aliam existentiam; si prius, habet.

habetur jam aliqua essentia existens per se ipsam, & indistincta ab existentia; si posterius, abitur in infinitum. Præterea essentia materiæ existit per seipsam formaliter; quia non tantum existentia aliqua essentiæ materiæ superaddita, sed ipsa quoque materiæ essentia immediatè terminat actionem, quâ materia ex nihilo in rerum naturam protrahitur; neque enim ipsæ essentiæ, dum res producuntur, pergunt hæerere in puri nihili statu; neq; solâ distincti entis, existentia nimirum, affixione possunt intrinsecè transire à non esse ad esse. Demum essentia posita extra causas, & actu subsistens existentia, separata dein realiter, vel mente præcisa ab hac existentia, vel manet in se prorsus invariata eo modo, quo erat ante positionem sui extra causas, & tum, si ab æterno fuit purum nihil, manet purum nihil, postquâ tamen posita est extra suas causas, & sic proscribitur omne esse actuale intrinsecum à rerû essentiis: & quâ ratione hoc purum nihil materialiter causabit suâ existentia? si autè ab æterno fuit ens actu, manet ens actu: vel non manet intrinsecè invariata, & sic ut distincta ab existentia secundùm se & per se relinquit statum puri nihili, & transit ad existentiam.

IV. Jam verò concessio, essentiam materiam ab eisdem existentia distingui realiter, adhuc non existit materia existentia formæ; sic enim (cùm unitas rei secundùm Thomistam desumatur ab existentia rei) non transibit eadem numero materia ab una forma ad aliam, ut inquit Arist. sed toties erit alia, etiã species materia, quoties acquirit aliam specie existentiam seu formam. Item existentia materiam in homine erit spiritualis, quia talis est ejus forma seu anima, quod est contra D. Thomam l. 2. extra gentes c. 56. docentem, existentiam materiam in quolibet composito esse materiale. Insuper eadem actione produceretur materia & forma; quia juxta Thomistas essentia & existentia rei eadem indivisibili actione ponuntur extra causas; & produciens formam censeretur quoq; producere materiam; qui rem producere, est existentiam rei producere; imò causaret materia se ipsam utpote causam suam existentiam, dum materialiter causat formam, quin & hanc causaret physicè antequam intelligeretur existere. Existeret existentiam suum effectus, adeoq; hoc naturam foret posterior. Neq; posset Deus destruere materiam manente formam, utpote cujus sic in rerum natura semper

per perseveraret existentia. Ut verò hæ rationes vna suã retineant, sic formanda erit hæc suppositio distinctionis essentiã inter & existentiam rei; ut essentia tanquã pura potentia ad omnẽ actualitatẽ, de se nihil habens actualitatis distinguatur ab existẽtia, quæ sit tota rei actualitas; si enim pōnatur essentia suam quoq; habere distinctã actualitatẽ & terminari à distincta actione, sequitur quidẽ bene, supervenientẽ existentia formæ esse frustraneã ad reddendã præcisè materiã existentem, nihilominus infirmantur hæ rationes, ut examinanti patebit. Vult itaq; D. Tho. materiã sine forma non debere dici ens in actu, intellige, formali; & Arist. dum illam vocat purã potentiam nullũ includentẽ actum, nõ vult, esse illam puram potentiam logicã sine omni actu entitativo, seu existentia, sed sine omni actu formali seu formã. Dumq; forma se suamq; existentia comunicat materiæ, & cum materia ejusq; existentia incompleta constituit unã existentiam completã compositi, recipitur quidẽ immediatè existentia formæ in materia secundũ nos, qui existentia formæ ab ipsa forma non distinguimus, nõ denominat tamen materiã existentem; sicut spiritualitas

animæ ab anima indistincta, immediatè recepta in materia non denominat eam spirituales, aut materialitas formæ ignis materialis; non enim potest superveniens rei jam existenti alia existentia denominare eandem existentem, cum communicare existentiam primò, formaliter sit ponere rem extra nihil quæ immediatè ante erat nihil, (qualiter actio conservativa non communicat novam existentiam, sed conservat, seu pergit producere, & ponere extra nihil rem ejusquæ primò existentiam;) neque etiam in talibus denominationibus consistit effectus formalis.

V. Materia, quantum est de se, naturaliter potest existere sine omni forma substantiali, sive conservatio materiæ absq; forma est eadem naturalis, & ejusdè rationis cum conservatione, quâ conservatur conjuncta formæ, utpote etiã in isto casu adhuc debita materiæ & ab ea exigibilis; sicuti cõservatio ignis sine calefactione non est eidè supernaturalis, etsi negatio concursus ad calefactionem debiti & impeditio effectus sit eidè supernaturalis, vel potiùs violenta: neq; enim statim cõservatio, quâ conservatur res in statu, in quo naturaliter esse non potest, id est, ad quem sine miraculo

culo redigi, & in quo sine violentia esse non potest, est rei conservatæ supernaturalis, sed ea tantum, quâ conservatur in statu, in quo naturaliter, id est, sine miraculo existere nequit: materia autem existere nequit sine omni forma absque miraculo, si *τὸ existere* significet primam ejus ab omni forma separationem, secus, si *τὸ existere* significet ejus conservationem supponentem jam istam primam separationem. Imò hæc ejus conservatione quidem ei erit violenta, etsi impeditio agentium naturalium à producenda forma, & his agentibus, & ipsi materiæ sit violenta. Hujus rei totius ratio est; quia nec à priori, nec à concomitante, nec à posteriori materia dependet à forma: non primum, cum forma in nullo genere sit causa materiæ: non secundum, cum hæc dependentia sit inter ea, quorum neutrum est causa alterius, uni tamen absque altero non debetur conservatio, cujus contrarium in materia jam vidimus: non tertium, cum hæc ratione ab aliquibus dicatur dependere tantum causa necessaria & adæquata à suo effectu, qualis non est materia respectu formæ; imò cum hæc dependentia à posteriori probabilius sit fictitia; quia causa

b s

natu-

naturâ prior suo effectu, pro isto priori jure esse & existere intelligitur cû omnibus ad suam existentiam requisitis; quod autem causæ quæ existere sine suo effectu, qui hîc & nunc exigunt necessario procedere à talibus causis, sive à causa ejus productione impediri nequeant sine miraculo, aut sine illata illis causis à causa primæ violentiâ, non importat taliû causarû dependentiam à posteriori à tali effectu, aut quod non exigant sine illo conservari. Jâ verò, quod naturaliter separari nõ possit ab omni forma, inde est, quod agentia naturalia formam veterem substantialẽ expellere nequeât sine introductione dispositionibus ad formã novã, quæ quando sunt, naturaliter producit formã novã; unde etiam, si quandoq; agentia inducant dispositiones sufficiens, ad formæ veteris expulsionem & nondum sufficiens ad introductionem novam quã ultimatè intendit natura, inducitur forma tertia, ut videre est in forma embryonis.

VI. Supernaturaliter nihilominus spoliari potest materia omni formâ; si enim accidentia dependentia à priori à subjecto possint esse privati supernaturaliter, multò magis materia formis, à quibus nulla ratione dependent, imò in eo casu ampliori concursu conservantur.

tivo Dei non egeret, cùm non subtrahatur illi hac ratione ulla causa naturalis. Ad hæc materia non est essentialiter actu comparata, aut dicit respectum transcendentalem ad formas ut sibi actu inexistentes. Nequè cessat in hoc casu finis adæquatus materiæ, sed tantùm inadæquatus, etsi primarius, nimirum recipere formas. Nequè esse substantiale essentialiter includit formam, sicut esse accidentale, quod est ipsa forma; nequè aliunde est ulla implicantia peculiaris, qualis esset in eo, si spoliaretur materia omni forma accidentali & consequenter sua etiam duratione & ubicatione. Et subsistunt hæc adhuc, etsi Thomistis detur, materiam naturaliter existere existentia formæ; posset enim materia adhuc aliunde supernaturaliter habere suam existentiam; sicut de facto secundum illos corpus Christi (quod naturaliter deberet existere existentia animæ) existit existentia Personæ divinæ.

VII. Materia prima non est potentia pura logica (quæ est mera non repugnantia ad existendū, connotans in obliquo negationem actualis existentia) nullum includens actum

entitativum, ut patet. Neque est pura potentia metaphysica, id est, merus gradus genericus nullum includens actum metaphysicum id est, differentiam metaphysicam. Neque est ita pura potentia passiva physica, ut excludat omnem potentiam activam physicam; ad minimum enim est emanativa suarum proprietatum; sed est potentia pura passiva physica nullum includens actum physicum seu formam. Potentia autem hæc passiva remota, seu receptiva formarum, non est accidens aut proprietas materiæ superaddita; sed ipsa materiæ entitas; est siquidem illud, per quod materia concurrens tanquam pars materialis ad constitutum compositum substantiale, & in quo immediatè recipit formas substantiales, quæ præstare non potest accidens. Neque hæc potentia remota materiæ ad aliquas formas perit aliquando, etsi pereat potentia ejusdem proxima v. g. ad formas semel corruptas. Neque tot sunt hæc potentia passiva materiæ, quot sunt distincti & inadæquati in particulari actus, seu quot sunt formæ; sed tot, quot sunt actus adæquati, qui unus tantum est, à quo potentia hæc materiæ specificatur, nimirum forma naturalis in

in genere, sive tota collectio formarum. Neque his obstat, quod potentia activa physica quandoque sit accidens, & causa efficiens medio, vel simul concurrente accidente causet, cum potentia activa non faciat unum per se, seu compositum substantiale cum suo effectu, quale debet facere potentia passiva materiae cum suo actu primario; propter quam eandem rationem falsum est, quod forma substantialis recipi debeat in isto subjecto, in quo immediate recipiuntur dispositiones ad illam, quod est quantitas. Et quidem est de conceptu formali essentiali primo materiae, esse potentiam receptivam formarum substantialium, per hunc enim conceptum primo distinguitur ab omni alio. Neque prius est, materiam esse partem determinabilem compositi; in hoc ipso enim conceptu relucet, esse potentiam passivam, cum determinari nequeat, nisi recipiendo determinativum. Neque, ubi potentia identificatur rei, prius natura est esse, quam operari, aut pati posse. E contra, esse potentiam receptivam formarum accidentalium, est quidem de conceptu essentiali physico; quia sublatâ potentia recipiendi formas accidentales, non

minùs periret materia, quàm sublatâ potentia recipiendi formas substantiales; non est tamen de conceptu primo metaphysico materiae, sed ejus veluti proprietatis metaphysicae.

VIII. Ratio hujus potentiae passivæ seu subjecti, pro ut communis est subjecto informationis tantùm, & sustentationis simul, bene statuitur in eo, quòd quid sit indifferens ad aliud, antecedit illud, adeoq; ab eo sit perfectibile (cum enim natura ab imperfectioribus ad perfectiora, maximè in productione cõpositi, progrediatur, eo ipso, quòd materia præsupponatur ad formam, magisq; distet a composito, quàm forma, cum nequeat transire ad compositum, nisi priùs habeat formam, cõsetur se habere ut perfectibile ad formam) perinde autem est, si hæc indifferencia & antecedencia sit realis, temporis (qualis est materiae respectu formarum materialium primâ exceptâ) siue sit naturæ, siue secundùm nostrum concipiendi modum, quo intelligitur semper forma superveniendo materiae illam perficere, & qualiter nunquam materia intelligitur perficere formam, etiam hanc quoq; compleat; imò etiam si crearetur post formam jam existentem, nam & in hoc

hoc casu forma adhuc exigeret produci superveniēdo materiæ, & materia præcedendo formam, etsi hic ordo miraculosè inverteretur. Etsi igitur subjecta secundùm se considerata defædentur quandoq; à formis, ut intellectus ab errore, perficiuntur tamen ab iisdem spectata in ordine ad compositum.

IX. Desumit materia suam specificationem ab eodem vel diverso ordine ad easdem aut diversas formas, ita ut ea censeatur specie differre ab altera, quæ potest recipere formas, quas non potest recipere altera, quòd quia de facto non est, rerum sublunarium materiæ sunt ejusdem speciei; & sic homo ab equo non differt totaliter, id est, secundùm utramq; partem: sic quoq; materia est species infima, metaphysicè ulterius non contrahibilis, etsi physicè ad varia composita contrahatur per formas. Quòd minùs verò possibilis sit materia specie distincta ab ea, quæ de facto datur, eaq; imperfectior, nil vetat: non enim materia est absolutè ens imperfectissimum, aut omne genus imperfectionis includens, sicut actus purus sive Deus includit omne genus perfectionis, adeoque hoc alius actus purus perfectior dari nequit.

X. Ap-

X. Appetitus, quo materia appetit formas, non est elicitus; quia non est actus animantis, sed innatus & metaphoricus; qui non appetit formas perfectiores præ imperfectioribus, cum per omnes æquè assequatur suum finem, qui est constituere cum forma compositum; licet enim cum perfectiore compositum constituat perfectius, non constituit tamen magis perfectè compositum; adhæc ratio illa majoris boni (ad finem obtinendum tamen non magis idonea;) non apprehenditur ab appetitu innato. Appetitu remoto & indeterminato per modum amoris & simplicis complacentiæ fertur in omnes formas etiam corruptas (non quidem collectivè, seu omnes habendi simul, sed disjunctivè, id est, hanc vel illam habendi) abstractrahendo veluti ab earum præsentia & absentia; respectu enim omnium est potentia passiva (etiam illius, quam de facto habet, quamvis non sit pura potentia ad illam, id est, connotans negationem actualis unionis illius secum) & omnes hæc formæ sunt bonum illius naturaliter acquisibile, etiam semel corruptæ; hæc enim cum nullum ex prædicatis suis essentialibus perdiderint, naturaliter

ter

ter quantum est ex ipsis, reproduci possunt: quod autem de facto reproduci nequeant, est ex decreto Dei, stauentis ad maiorem uniuersi uarietatem formam semel corruptam non reproducere, quæ extrinseca rei impossibilitas, representata etsi obstat quò minus feratur in rem illam appetitus elicitus efficax, non obstat tamen, quò minus feratur in illud bonum ex se adhuc obtinibile appetitus naturalis, inefficax & indeterminatus: Estque illa solùm potentia frustranea, quæ ex defectu principiorum sibi intrinsecorum redigi non potest in actum. Illam formam solam appetit appetitu gaudii & fruitionis, quam possidet; illa enim sola bonum est præsens. Illam solam appetit appetitu desiderii determinati & efficacis, ad quam est proximè deposita. Habens unam formam reliquas adhuc appetit indeterminatè, nō quidem desiderando illas pro tunc, siue conjungendas sibi in sensu composito formæ, quam habet, sed habendas pro alio tempore & in sensu diuiso, nimirum perditâ illâ, quam iam habet; appetitus enim hic remotus materiæ est insatiabilis, licet proximus satietur per unam formam; nequè hoc modo desiderandas

randas

rando alias, desiderat illius, quam nunc
 habet destructionem. Et hæc quidem om-
 nia conferendo appetitum innatum (cu-
 de cætero nec absentia, nec præsentia re-
 præsetatur, utpote qui inanimatus est) meta-
 phoricè cum elicitò; à quo differt etiam
 hoc, quòd hujus tendendi modus, adeo-
 què ipsa entitas mutetur, repræsentat à præ-
 sentiâ vel absentia boni; ille verò semper
 manet idem secundùm rectum, & mu-
 tatur tantùm secundùm obliquum, pro ut
 nobis dicitur nunc ferri in bonum præsens
 nunc in absens.

DISSERTATIO QUARTA

De Forma.

I. **F**orma est substantia simplex (intelligè-
 simplicitate physicâ, utpote nullis
 constans partibus essentialibus physicis; non
 metaphysicâ, utpote constans genere & dif-
 ferentiâ) & incompleta, quæ per modum actus
 constituit cum materia unum per se: Non est
 tota quidditas compositi; hoc enim est ens
 completum habens partes, quæ non conve-
 niunt formæ: & essentialiter rerum consistunt
 quidem in indivisibili, sed non per modum
 puncti

puncti vel unitatis, sed per modum numeri, cujus partibus nihil demi aut addi potest, quin pereat ratio numeri istius. Neq; itaq; illud est tota rei essentia, per quod ultimò distinguitur specie ab omni alia re, quale quid est forma. Neq; illud, quod est principium adæquatum aliquarum operationum, sed illud, quod est adæquatum principium operationum omnium, quale quid non est forma. Etsi autem ex eo, quòd materia quoq; pertineat ad essentiam, bene sequatur, hominem senem non fore eundem physicè secum puero, utpote cujus materia, quãu habebat puer, paulatim vi caloris naturalis consumpta est, aliã substitutã per nutritionem, (quod idem etiam formis materialibus evenit) erit tamen adhuc idem moraliter homo, cum paulatim & imperceptibiliter pereant istæ partes materiæ, & ita per continuatam successionem succedant novæ, & quidem ejusdem rationis, & non nisi in instaurationem partium per-euntium, ut Petrus v. g. singulis momentis dicere possit: *hac est mea materia*. quod quia non fit in eo, qui subito perderet totam materiam, aliã totã mox substitutã, dicetur & physicè & moraliter alius homo.

II. For-

II. Forma hominis ex nihilo subjecti, se
ex non præexistente subjecto materialiter
causante producitur seu creatur; respectu
cujus proinde sustentandæ materia non ha-
bet potentiam passivam, etsi hanc habeat re-
spectu ejusdem recipiendæ, ad quod suffici-
dari potentiam activam naturalem unientem
illam materiæ; quamvis & Deus in creatione
animæ gerat se ad modum agentis naturalis
utpote non creans illam, nisi ad exigentiam
materiæ dispositæ. Reliquæ formæ mate-
riales educuntur è materia tanquam causa
materiali seu subjecto sustentationis, ut
hoc dependent in conservari & operari.
Dum autem educi dicuntur è materia, non
est intelligendum, quòd præexistenter in ea
actu & formaliter, neque secundum se totas;
aliàs de facto existerent in materia formæ
contrariæ eaq; infinitæ, & eadem in omni-
bus materiis, cum formæ omnes ex eadem
materia, & forma eadem ex omnibus mate-
riis possit educi; & nulla fieret mutatio; cum
nihil produceretur de novo, ne quidem
unio; nam & hæc juxta adversarios eodem
modo præexistisset in materia; neque se-
cundum partem sui, quæ dein in generatione
per

per additionem novæ partis compleatur; hæc enim nova pars vel etiam præexistit in materia, vel non, & sic adhuc juxta adversarios produceretur ex nihilo; sed quòd virtute contentæ fuerint in & à materia, sive quòd materia habuerit virtutem, eas cauſandi materialiter; id enim est, effectum in virtute cauſæ contineri. Sic quoq; cœlorum & Elementorum formæ de facto sunt productæ; supponendum enim est, Deum eas secundum earum exigentiam, quâ exigebant dependenter à materia produci, sicut & postea conservari, produxisse. Cui non obstat, formas has esse quoq; incorruptibiles. Quia tamen in materia non præexistit privatio harum formarum, utpote quæ simul cum materia fuere productæ (actione tamen distincta à creatione materiæ) & quibus materia non nisi naturâ fuit prior, non sunt generatæ generatione Aristotelica, quæ includit mutationem. Similiter formæ accidentales, tam modales, quàm absolutæ; tam spirituales, quàm materiales; tam naturales, quàm supernaturales producuntur per educationem; ita tamen, ut ipsæ actiones educantur *ut quo*, excepta creatione, quæ creatur *ut quo*, nec
habet

habet subjectum inhæſionis aut sustentationis, sed adhæſionis tantum, nempe rem creatam; dicuntur tamen accidentia supernaturalia, V. G. habitus fidei &c. à Deo infundi non quòd ab eo creentur, sed quia non possunt ab agente naturali naturaliter educi; quæ ratione verò educantur è potentia obedientiali animæ, leges infra, ubi agetur de potentia obedientiali passiva.

III. Possunt nihilominus accidentia materialia & nominatim modalia à Deo creati tolli enim potest à modis dependentia, quæ dependent à modificato in ratione subjecti, utpote ab entitate modorum distincta, etiam tolli ab iis nequeat connexio illa, quæ ita connectuntur cum suis modificatis actu existentibus, ut impossibile sit, eos ab illis existere separatim, utpote ipsis modis identificata. Idem est de formis & modis substantialibus. E contra nulla in eo apparet implicancia, si forma substantialis immaterialis, exigens creati creatione à se distincta, educatur; non enim talis forma formaliter per se ipsam est independens à subjecto; nam sicut ideoeductio identicè est dependentia rei à subjecto, quia
præ-

præterquam , quòd dicat respectum ad agens , dicat quoque respectum ad passum sive subjectum , sic creatio ideo erit non dependentia sive formalis & positiva independentia ; quia non dicit respectum ad passum ; neque enim requiritur , ut dicat positivè respectum ad non subjectum. sicut bene dico : Petrus ideo est homo ; quia præter respectum , quem dicit ad sensationes , dicit quoque respectum ad ratiocinationes : ergo equus est non homo seu irrationalis , quia dicit respectum ad sensationes , & non dicit respectum ad ratiocinationes. Ad hæc , sicut primaria functio educationis est , reddere rem existentem ; secundaria , reddere eandem actu egentem subjecto ; sic primaria functio creationis est , reddere rem existentem , secundaria , reddere eandem actu non egentem subjecto ; & sicuti jam res non habet à se , quòd fit actu , sed ab actione ejus productiva ; sic non habet à se , quòd fit actu egens , vel non egens subjecto , sed ab educatione , vel creatione. Etsi autem attentâ præcisè virtute causæ secundæ non sit proportio inter actionem materialem & effectum spirituales , sufficientem tamen

tamen

tamen inter ea esse proportionem attendita virtute divina, patet ex eo, quod sufficiens si proportio inter actionem ex natura sua independentem, & effectum materiale ex natura sua omnino dependentem à materia. Afferit quidem Hurtado, actionem nobiliorem, qualis est creatio, per ignobiliorem, qualis est eductio, non posse suppleri sed non probat; quinimò ipse docendo accidens spirituale inhaerere posse subjecto corporeo, docet, inhaerentiam nobiliorem per ignobiliorem suppleri. Quamvis doceant alii, & bene, simul creari & educi posse talem formam, in quo casu una actio aliam non suppleret: & non sequeretur hinc, formam illam habere negationem absolutam dependentiæ; sed habere negationem dependentiæ ortæ ex ista actione creativa, sive per illam non dependere, & vi illius nullam trahere dependentiam. Nequæ ex dictis huiusquæ sequitur, talem formam fore corruptibilem; etsi enim contra suam exigentiam educeretur à materia, ab eaquæ verè dependeret, nihilominus deficiente hoc subjecto, semper illi adhuc debita est creatio.

IV. Plures formæ simul nequeunt naturaliter informare eandem materiam ; cum enim materia, quæ de facto datur, sustentare nequeat plures formas , aut uniones substantiales , secunda forma & unio deberent creati. Præterea esse aliquam impossibilitatem, quò ad simultaneam informationem inter formas substantiales, etiam exigentes similes dispositiones, experientia videtur docere, quâ videmus, unam alteram nunquam admittere ad idem secum hospitium; etsi, unde sit hæc formarum impossibilitas, difficulter assignetur. Neq; contrarium probat experientia de ferro candente ; illi enim ignis extrinsecè adhæret, intimosq; paulatim pervadens poros ferri, latentia in illis corpuscula seu exhalationes pinguiore accendit. Neq; multitudo accidentium informantium idem subjectum ; horum enim plura ab ipsis formis substantialibus, quarum sunt ornatus & comitatus, exiguntur.

V. Nihil tamen vetat , quò minùs id fiat supernaturaliter. Quod dum fit, redduntur duæ formæ in actu primo ad summum , seu radicaliter & exigitivè impossibiles, in actu secundo cõpossibiles, agiturq; à Deo

c

contra

contra earum exigentiam , non tollitur ex
 gentia, sive radicaliter impossibiles non
 redduntur radicaliter compossibiles. Cum
 forma secunda adveniat materiæ, quæ com
 pleta est, non ut completa est, sive toti compo
 sito, conurgit ex tali forma & materia adhuc
 unum per se, completurq; materia ulterius in
 ordine tamē ad aliud cōpositum inadæqua
 tē à priori diversum. Neq; per hoc Deus red
 dit capacitatem materiæ ampliorem (quo
 implicat , cum hæc ipsi materiæ identifice
 tur) est enim illa per se naturaliter capax re
 cipere præcisè plures formas , & illius appe
 titus, proximus & efficax expletur per unam
 formam , non verò remotus. Neq; ex eo,
 quòd duæ formæ informarēt eandem mate
 riam , poterit unum compositum de altero
 prædicari & dici : *Hircus est Cervus* ; sicut di
 citur : *album est dulce* : *Deus est homo*, in Chri
 sto : nam cum compositum substantiale in
 recto dicat materiam, formam & unionem,
 sensus hic erit : *materia & forma & unio Hirci*
est materia, forma & unio Cervi; compositum
 verò accidentale in recto tantum dicat subje
 ctum : concreta substantia ex natura &
 subsistentia in mysterio Incarnationis in
 recto

recto dicant subsistentiam. Neq; unio præcise secundum se est causalitas causæ formalis respectu effectus secundarii, nempe expulsionis veteris formæ, sed ut actu movens Deum ad subtrahendum veteri formæ conservationem, adeoque hac unione posita, potest non expelli vetus forma. Deniq; si duæ animæ rationales, vel anima lupi & ovis, vel anima & forma cadaveris (dummodo hæc non importet negationem animæ seu formæ viventis) informarent eandem materiam; poterit una bene agendo salvari, altera malè agendo damnari, de corpore & bonorum, & malorum operum instrumento affligendo, vel beando, providebit Deus; non poterit tamen una anima aliquam functionem egere ministerio corporis exercere, alteram animam invitam, aut utente corpore ad functiones contrarias. Lupus autem abstinebit à voranda ove, ne hanc devorando suam quoq; voret materiam, sibiq; dolorem creet: idem corpus dici vivens, & habens formam cadaveris. Porro an possit eadem materia, quæ de facto datur, se solam sustentare quoq; plures formas substantiales, ex eo pendet, an id possit naturaliter, quantum est de se, nam incapacitas

materiae naturalis ad hoc non poterit el
 vari; supplere enim hunc defectum no
 potest Deus in genere causae materialis, ed
 cendo ex se, seu sustentando per se forma
 secundam; si verò suppleat in genere causae
 efficientis, praebendo ampliozem concu
 sum activum secundae formae, ita ut haec con
 cursu causae materialis sustentativae non ege
 ret, jam materia non sustentaret secundam
 formam; si suppleret producendo compri
 cipium aliquod passivum supernaturale,
 quod simul cum materia secundam formam
 sustentaret, jam materia illam se sola non
 sustentaret; certè fundamentum nullum ha
 bemus, hanc virtutem naturalem conceden
 di materiae.

VI. Praeter formas speciales non datur in
 compositis physicis forma corporeitatis indi
 vidua materiae socia; non enim servit ad cō
 stituendum cum materia corpus, si per rō cor
 pus intelligas alteram partē physicam viventis
 seu materiam organizatam, cum id sufficere
 habeat materia à formis partialibus, vel à va
 riis variorum accidentium collectionibus in
 diversis suis partibus: neq; ad cōstituendum
 cum materia corpus, id est, alteram compo
 siti

fiti inanimati partem, quæ est substantia incompleta, exigens impenetrabiliter extendi, cum id habeat materia ex se & à quantitate: neq; ad cõstituendum corpus, quod ponitur in prædicamento substantiæ, estq; substantia completa, cõposita, exigens impenetrabiliter extendi, cum posterius habeatur à quantitate; prius habeat materia à forma substantiali totali; hæc enim, etiã si sit spiritualis, dat denominationẽ corporis & corporei, prout τὸ *corpus* & *corporeus* est gradus metaphysicus, & differentia metaphysica substãtiæ, eo ipso, quò constituit cum materia compositum substantiale; sicq; in hoc sensu homo dicitur corporeus formaliter, etiam ratione animæ, non tamen solius; dicitur verò corporeus, pro ut hoc idem significat, quod *materialis*, à sola materia, & non spiritualis ab anima; etsi hæc ejus pars sit nobilior; cujus ratio est, quod τὸ *spirituale* prædicatum sit modo negativo explicari solitum, qualia prædicata, ut toti simpliciter dent denominationem, requiritur, ut nihil oppositi sit in isto toto. Pereunte igitur formã substantiali, manet quidem ratio corporis, id est, substantiæ incompletæ, corporeæ, non verò ratio

corporis positi in prædicamento substantiæ.
 Quòd autem viventia dicantur constare corpore & animâ, inanimata verò materiâ & formâ, non est ratio, quòd in viventibus dicitur forma corporeitatis, sed quòd ea consistant materiâ organizatâ.

VII. Dantur verò in quolibet vivente præter animam seu formam totalem formæ substantiales, partiales, subordinatæ animæ (non tamen propterea sunt accidentia, cum ordinentur ad compositum substantiale, quo inadæquatè tantùm distinguuntur, illa autem est accidens, quod subordinatur substantiæ; seu rei primariò à natura intentæ, et cum ea tanquam subjecto inhæsionis componat rem secundariò à natura intentam) inter se & ab anima realiter distinctæ, quarum singulæ informant diversas partes materiæ, constituuntquè singulas partes heterogeneas corporis organici, & omnes simul unum corpus organicum. Præsupponuntur hæ formæ in materia ante animæ introductionem, (non tamen ideo sunt dispositiones strictè tales, cum ingrediantur intrinsecè rationem viventis) manentquè in ea sola discedente anima, donec & ipsæ corrumpantur,

pantur, succedente illis aliâ formâ totali; nequit enim absquë his formis intelligi corpus organicum, ex quo essentialiter constituitur vivens, utpote cujus anima est actus corporis organici. Non primò per solam materiam primam; hæc enim est incorruptibilis, corpus organicum corruptibile. Non secundò per materiam dispositam & informatam variis accidentibus, aliàs homo essentialiter componetur ex accidentibus, etsi corpus organicum illa connotet in obliquo, dummodò essentialiter constituent illud. Non tertio per materiam informatam animâ; cum corpus organicum sit pars adæquatè condistincta ab anima. Non quartò organizatur corpus per unionem, quæ in diversis materiæ partibus est heterogenea; cur enim hæ partes unionis essent heterogeneæ, cum partes extremorum, quas unit, sint homogeneæ? ad hæc corpus mortuum, utpote carēs unionem cum anima, erit diversum à vivente. (Præterea ubi in diversis partibus ejusdem subjecti reperitur diversorum accidentium, operationum & proprietatum collectio, qualis reperitur in cerebro

corde, osse, carne, ibi bene arguimus, existere
 diversas formas immediatè exigentes illam
 (præsertim si eadem accidètia corruptâ for-
 mâ totali perseverent, uti fit in animali mor-
 tuo) aliàs & potiùs quidem licebit dicere, for-
 mas diversorum suppositorû v. g. auri, ligni
 &c. esse easdem specie, etsi habeant & exi-
 gant proprietates & operationes dissimili-
 mas. Deniq; in morte viventis materia non
 manet absquè omni forma substantiali, neq;
 inducitur etiam forma aliqua cadaveris; quæ
 enim causâ illius? & qua ratione eadem à
 tam contrariis dispositionibus, à quibus
 mors causatur, pendeat? certè jam Ver-
 bum partem substantialem in morte assump-
 sit, quam in resurrectione iterum dimi-
 sit. Nequè ex hac nostra doctrina sequi-
 tur, formam totalem supervenientem ma-
 teriæ jam actuatæ & completæ per formas
 partiales constituere cum ea unum per ac-
 cidens; actuatur siquidem & completur
 materia per dictas formas magis quidem,
 quàm per se complebatur, non tamen com-
 pletur ultimò, sive non statuitur per has
 formas in actu completo non subordina-
 to alteri actui: unde est, quòd lignum
 mor-

mortuum sive materia ligni cum solis formis
 partialibus existens sit quid minùs com-
 pletum, quàm ferrum; quia subordinatur
 animæ vegetativæ: quæ materia non ta-
 men ideo dicenda erit, esse in statu violento,
 cùm hic status sit juxta appetitum mate-
 riæ, saltem secundarium, quo appetit in ge-
 nere formam aliquam, sive totalem sive par-
 tialem. Ex eo autem, quòd materia actua-
 ta his formis actuetur ulterius per formam
 totalem, non sequitur quidem, habituras
 se formas has respectu formæ totalis tan-
 quam potentiam, ab eaque verè informan-
 das (docent enim bene plures, formam
 totalem uniri materiæ habenti has formas, &
 non immediatè his formis) nihilominùs
 in eò quoque nihil est absurdi; habent enim
 hæ formæ duplex munus, ut informent,
 & informentur. Sic itaque dabitur secun-
 dùm nos corruptio incompleta & non ulti-
 mata, dum in morte viventis materia cum
 his solis formis manet, sine generatione
 immediatè concomitante. Neque nobis
 contrarius est Arist. hic siquidem vult, ani-
 mam esse actum corporis, non constitui-
 vum, sed informativum, vocatque corpus

mortuum respectu vivi æquivocè corpus, non præcisè in ratione corporis organici, sed in ratione instrumenti proximè apti ad actiones vitales eliciendas, sic enim connotat animam.

DISSERTATIO QUINTA

De Unione.

I. **U**NIO est quid distinctum à materia & forma; in productione enim hominis datur actio generativa distincta à productione materiæ & formæ, quæ creatur hujus actionis assignandus est terminus, hic alius esse nō potest, quàm unio. Præterea implicat, rem transire à denominatione reali ad denominationem realem priori contradictoriam; V. G. materiam & animam D. Petri, quæ jam denominantur non unita, transire ad denominationem contrariam & denominari unita, quin pereat, vel de novo ens aliquod producat, nulum autem hęc ens perit; ergo aliquod de novo producit, & hoc aliud non est, quàm unio. Demum possunt materia & forma existere & non uniri, seu separari ab unione. Nequè approximatio est condi-

conditio , ut materia & forma uniantur se-
ipsis , sive ut existat unio identificata ma-
teriæ & formæ , quia non est conditio , ut
existat materia & forma , adeoque nec est
cōditio alicujus cum materia & forma iden-
tificati ; neque dici potest, esse conditionem,
non ut unio identificata materiæ & formæ
existat secundum entitatem, sed ut existat se-
cundum formalitatem, id est, ut actu exer-
ceat officium uniendo ; Nam unio secundum
physicam suam entitatem, & unio secundum
formalitatem seu exercitium uniendo non
distinguantur ; cum unio sit ipsum actuale
exercitium uniendo. Multò minùs consistit
unio in ista approximatione seu intima præ-
sentia formæ cum materia ; aliàs compo-
situm substantiale constitueretur per acci-
dentia , qualia sunt istæ duæ ubicationes
materiæ & formæ ; imò motum semper
esset aliud & aliud ; cum ad quemcunq̃
motum istæ ubicationes mutantur ; neque
posset cōpositum unum cum alio penetrari,
quin continuò unius materia cum alterius
forma uniretur, adeoq̃ Christi corpus pene-
trans lapidē sepulchralem, illi unitum fuisset.
Jam verò si dicatur , præter approximationē

localem requiri approximationem virtutis: an illa erit quid distinctum à materia & forma, an non? Si dicatur, requiri præterea dispositiones ad formam, jam accidentia ingrediuntur constitutionem totius substantialis; conditio enim esse non possunt, ut materia & forma uniantur se ipsis, sicut conditio esse non possunt, ut existat materia & forma. Si dicatur, requiri præterea, ne alia materia vel forma cum priori materia & forma existat in eodem loco, jam negatio vel absentia alterius formæ vel materiæ ingreditur compositum substantiale, & non possunt duo composita penetrari, quin hoc ipso singulorum pereat unio. Si requiratur præterea dependentia formæ à materia, aut exercitium actionis vitalis in materia, jam requiritur iterum accidens ad constitutionem substantiæ, & aliquid, quod omnibus compositis non est commune.

II. Non est tamen unio formaliter ipsa eductio formæ materialis è subjecto; hæc enim eductio est accidens & prior naturâ formæ; unio autem, utpote ingrediens rationem totius substantialis, debet esse substantia, &

suo

suo modo posterior extremis. Item actio eductiva procedens à causa prima & secunda, est alia specie ab educatione procedente à sola causa prima (mutato enim principio mutatur actio) ergo si hæc sit unio, alia erit unio compositi, dum hoc primò producitur à Deo & causa secunda; alia, dum illud dein à solo Deo conservatur. Connectitur itaque tantum vi educationis seu dependentiæ forma cum materia tanquam causâ materiali, inhæret illi præcisè tanquam subjecto sustentationis, est tanquam actus radicaliter informans in materia tanquam in subjecto vel potentiâ sustentationis, non verò tanquam actus actu informans in potentia informationis, & potentia materiæ sustentativa, non unitiva, per educationem reducitur ad actum; imò potest forma educi, & tamen supernaturaliter impediri, quò minus uniatur materiæ, tanquam subjecto informationis, in quo casu non erit v. g. *Leo*, sed materia sustentans formam Leonis. Nec dicas: unio est passio; quia per illam formaliter patitur materia & recipit formam, passio autem identificatur educationi; Nam est passio, si per pati intelligatur quomodo-

cunquē mutari & recipere novum effectum formalem; non tamen unio est passio, si per pati intelligatur influere in genere causæ materialis; unio enim non est talis influxus materiæ in formam.

III. Verūm unio est modus, utpote actualis determinatio materiæ & formæ de se indifferentium ad esse uniti; substantialis, utpote ingrediens constitutionem totius substantialis. Dum ergo dicitur ab Aristotele, materia uniri formæ immediatè, sensus est, quòd nihil mediet *ut quod*, non, quòd etiam nihil mediet *ut quo*, sive quo uniantur: ipsa verò unio unitur materiæ & formæ, etiam nullo *ut quo* mediante; quia non est indifferens, ut illis uniatur, vel non uniatur; posset tamen aliqua unio per modum extremi uniri alteri extremo per aliam unionem, sicut unio animam inter & corpus Christi unitur Verbo per unionem hypostaticam. Porrò licet unio Petri includat prædicatum diversum, nimirum quòd sit affixa partibus Petri, ab unione Pauli, quæ est affixa partibus Pauli, & non Petri; cū tamen hæ partes diversæ non sint speciei, diversa hæc prædicata inter has duas
unio-

uniones distinctionem non inferunt specificam.

IV. Unica in composito est unio totalis & essentialis (esse tamen plures uniones partium integralium, certum est, & probabilius, tot dari uniones partiales, quot dantur formæ partiales) & non duplex, una se tenens ex parte materiæ, altera ex parte formæ; unica enim unio, siue ea subiectetur in materia, & respiciat formam, ut purè terminum, siue subiectetur in forma, siue creetur, & in nullo extremorum subiectetur, sed respiciat utrumq; ut purè terminū, æquè propriè, strictè & perfectè unit materiam formæ, quàm formam materiæ, & utriq; extremo æqualiter communicat suum effectū formalem, qui est constituere illud, quod unit, componens compositū cum altera comparte; implicat siquidē, constituere materiam componentem unum cum forma, quin æquè constituat eo ipso formam componentem unum cum materia. Hic itaq; conceptus: *materia componens unum cum forma*: non dicit unionem subiectatam in materia, sicut nec hic: *forma componens unum cum materia*: unionem subiectatam in forma, cum maneant iidē conceptus, et h

etsi unio crearetur, adeoque neque in forma, neque in materia subiectaretur, unioni enim, quatenus unio est, per accidens est, subiectari in hoc, vel illo, vel nullo subiecto; & perficere adhuc potest extremum, cui tantum adhæret. Ex eo autem, quòd eadem unio, in quantum unit materiam formæ, sive in quantum præstat, ut materia actu exerceat munus partis materialis, dicatur materializatio, & in quantum formam unit materiae, dicatur informatio, non sequitur: ergo materia informat, forma materializat; sicut ex eo, quòd eadem entitas sit actio & passio, & denominet principium, à quo procedit, agens, subiectum, in quo recipitur, passum, non sequitur: ergo patiens agit, agens patitur. Neque ex eo, quòd alia sit relatio, quâ paries A respicit parietem B, & alia, quâ paries B respicit parietem A. sequitur, fore aliam unionem, quâ materia unitur formæ, & aliam, quâ forma unitur materiae; disparitas enim in hoc est, quòd eadem physicè & logicè relatio eo ipso, quo constituit parietem A in ratione fundamenti, non constituat terminum similiter in ratione fundamenti, sicut unio eo ipso, quò constituit ma-

teriam

teriam in ratione uniti formæ, etiam constituit formam unitam materiæ; cum enim relatio identificetur fundamento & termino, ita tamen, ut fundamentum veniat in recto, quoties hic rectus mutatur, alia efficitur, saltem logicè, relatio.

V. Subjectatur de facto unio in sola materia, & formam respicit tanquam purum terminum: imprimis enim unio subjectata in uno extremorum sufficienter unit ambo, sic Verbum sufficienter unitur humanitati per unionem receptam tantum in humanitate; quod Verbum ideo non dicitur, non perfici ab hac unione, quia hæc in eo non recipitur, sed quia est completissimum; neque requiritur, ut hoc, à quo res perficitur, mutatur intrinsecè, & accipit denominationem, inhæreat rei ut subjecto sustentationis aut inhæSIONIS, sed sufficit, illud esse in re mutata adhæsivè tantum, sicut creatio intrinsecè tantum adhæret Angelo, qui tamen per illam mutatur; imò Verbum intrinsecè denominatur ab unione juxta de Lugo adhærente illi tantum; etsi extremorum illud, in quo subjectatur unio, præterquam, quòd perficiatur in ratione uniti, perficiatur insu-
per

per in ratione subjecti. Neque requiritur ut illud, quod est causalitas causæ materialis compositivæ & causæ formalis, ab his duabus causis tanquam influentibus dependeat; id enim requiritur propriè ad causalitatem causæ efficientis & causæ materialis sustentativæ. Quòd verò potius in materia quàm in forma subjectetur, inde suadetur; quòd in hac subjectentur dispositiones ad unionem & formam, item actio ipsa generativa terminans unionem.

VI. Producitur de facto unio actione distinctâ ab eductione formæ; connaturalius est enim, entia distincta per distinctas produci actiones. Ex eo autem, quòd agens naturale non intendat formam secundum se, sed ut unitam, non magis sequitur, produci unionem & formam per eandem actionem, quàm materiam & formam; hæc enim etiam non intenduntur secundum se, sed ut invicem unita. Hæc productio unionis connaturaliter est eductio, supernaturaliter potest esse creatio, nullum enim prædicatum habet unio, vi cuius repugnet illam creari; nam duplicem à materia habet dependentiam, unam à priori, quâ ab illa.

illa dependet tanquam à causa materiali, & hæc illi essentialis non est: alteram, quâ dependet à materia tanquam à concomitante, seu tanquam à termino, & hæc illi essentialis est, sicut omnibus aliis modis; nequæ hæc tollitur per creationem.

DISSERTATIO SEXTA

De Composito & Subsistentia.

I. **C**OMPOSITVM non est quarta aliqua entitas à materia, forma & unione simul sumptis adæquatè realiter condistincta, aut dicta tria simul sumpta includens, & ab iis ex natura rei distincta, in qua constituatur ratio totalitatis: vel enim ista quarta entitas est totum compositum; & sic v. g. anima & corpus non erunt partes hominis; vel est pars, & sic compositum vel distinguitur à materia, forma, unione, & hac quarta entitate; & jam dicit præterea aliam adhuc entitatem, & de hac formabitur denuo eadem quæstio, & ibitur in infinitum: vel non distinguitur, & jam habetur totum à suis partibus indi-

indistinctum. Sed tantum est dicta tria simul sumpta, & in recto importata; his enim solis positus, & aliis re vel ratione præcisus, manet conceptus compositi, cum implicet, materiam & formam media unione actu componere, aut concipi ut actu componentes, & non haberi actu, aut concipi compositum. Item omnia, quæ de composito, de his quoque tribus simul sumptis dici possunt; sunt enim quid unum unitate compositionis, quo ad simultatem illam seu complexum illud ex dictis tribus entitatibus; dicuntur generari *ut quod*; item partes istæ acceptæ collectivè dicuntur constare & componi ex se ipsis, seu ex partibus unitis acceptis distributivè. Nec dicas: causa distinguitur realiter à suo effectu, partes ut unitæ sunt causa, & compositum est effectus, ergo; nam partes ut unitæ acceptæ distributivè & singulatim in hoc sensu; *Forma ut unita materia est una causa; materia ut unita forma est altera causa*; sunt causæ; non verò acceptæ collectivè sunt causæ, aut una causa totalis compositi; implicat enim causa totalis intrinseca compositi; quia cum causa intrinseca tantum causet componendo cum
alte-

altera comparte, de essentia illius est, esse partem; & cum quo componeret causa totalis intrinseca? vel cui uniretur materia, forma & unio simul sumpta? dicitur tamen compositum intrinsecè causatum adæquatè, non quòd habeat causam intrinsecam adæquatam, sed quòd sit perfectè causatum, seu compositum à pluribus causis intrinsecis seu partibus, quarum singulæ in suo genere dici possent ad summum adæquatæ; & ununtur causæ intrinsecæ sibi in ratione causarum, non ut constituent unam causam totalem, sicut partes in ratione partium sibi ununtur, non ad constituendam unam partem totalem, sed in ordine ad effectum totalem; eodem modo singulæ causæ intrinsecæ dicuntur causa partialis, non in ordine ad causam totalem, sed in ordine ad effectum totalem: contrarium est in causis extrinsecis, ex earum enim pluribus fit una causa adæquata extrinseca; quia hæ etiam simul sumptæ causant effectum à se adæquatè distinctum. Nequè nostræ huic doctrina contrarius, sed potius fautor est Aristoteles inquitens: *sicut bis tria non sunt sex* (intellige bis tria separatim accepta, & sine unione quasi

extrinseca, quæ est actus intellectus ordinantis bis tria in unum numerum (senarium) & sicut syllaba Ba non est B & A (sed præterea ordo aliquis & situs harum literarum) sic totum non est suæ partes; nos enim non dicimus, totum esse tantum suas partes materiam & formam, sed esse insuper unionem earum physicam.

II. Ad hoc, quod hîc quæri solet, num dari possit compositum substantiale, quod neque constet materiâ neque formâ; respondeo negativè; nisi enim pars una habeat se per modum actus, altera per modum potentiae, vel erit aggregatum per accidens, vel totum integrale, homogeneum, vel heterogeneum.

III. **SUBSISTENTIA**, Suppositum, Persona, Hypostasis etsi sumantur sæpe pro eodem, in rigore tamen persona & hypostasis naturis tantum intellectualibus, & quidem completis; suppositum etiam non intellectualibus, subsistentia insuper etiam materiæ & formæ tribuitur, quandoquæ item suppositum & persona accipiuntur pro abstracto nimirum personalitate suppositalitate ut condistinctâ à natura (sicut semper accipitur sub-

subsistentia) frequentius pro concreto ex natura & subsistentia. Est autem subsistentia creata (de divina enim constat, non nisi ratione distingui à natura) plusquam ratione à natura distincta: quæ enim solâ ratione distinguuntur in creatis, illorum uno existente, necessariò etiam existit alterum, & uno permanente non potest perire alterum; in Christo autem de facto existit natura humana, & non subsistentia humana, ergo hæc ab illa plusquam ratione distinguitur. Nec dic: manente uno, alterum illi identificatum non posse quidem perire per ablationem suæ entitatis, posse tamen perire per additionem alicujus alterius, & hanc separationem factam per additionem novæ entitatis, non obstare identificationi duorum inter se; sic numerum ternarium non distingui à tribus, etsi per additionem quartæ entitatis pereat numeri ternarii ratio, manentibus tribus; sic totalitatem aquæ non distingui à tota aqua, & tamen eâdem hac aqua manente perire totalitatem per affusionem ulterioris aquæ; similiter subsistentiam humanam in Christo separari à natura humana, per additionem unionis hypostaticæ; hoc ipso enim, quod

quod natura humana uniatur Verbo, desinit
existere per modum totius, & perit ejus to-
talitas. Nam exempla hæc ad rem non fa-
ciunt; quia ratio numeri ternarii & totius
integralis præter partes fortè includit nega-
tionem ulterioris entitatis, quâ negatione
per additionem quartæ entitatis sublatâ, ad-
huc perit numerus ternarius per ablationem
alicujus sui constitutivi, & sic incidunt ad-
versarii in sententiam Scotistarum. Præterea
non licet mihi dicere, ne quidem in sensu i-
dентico: *humanitas est homo*; sicut dicere
possum: *Deitas est Deus*, quod signum est,
personam humanam à natura humana plus
distingui, quàm divinam à Natura divina.

IV. Non est subsistentia creata aggrega-
tum aliquod ex natura importata in recto, &
duplici negatione importata in obliquo,
quarum una est negatio unionis actualis cum
aliquo, cum quo constituat aliquod perfe-
ctius, quàm erat ipsa sola (quod additur
propter Verbum; hoc enim aliàs careret
subsistentiâ, quia actu unitur) altera est ne-
gatio unionis aptitudinalis (per quam u-
nionem non intelligitur ea, secundùm quam
res capacitatem habet, ut supernaturaliter
unia-

uniatur alteri, sed secundum quam de se inclinationem habet, ut uniatur alteri) ita ut illa natura censeatur carere propriâ subsistentiâ, quæ vel actu unitur alteri, cum quo constituit perfectius, quàm ipsa sola erat, uti contingit Humanitati unitæ Verbo; vel inclinationem habet, ut uniatur alteri, uti contingit animæ separatæ, & materiæ existenti sine omni forma: illa è contra habeat subsistentiam propriam, quæ nec unitur actu alteri digniori, nec apta est cum inclinatione uniri alteri. Si enim vera est hæc doctrina, imprimis tam serua tamquæ bene ponderata definitio Ecclesiæ definientis contra Nestorium, Humanitatem Christi unitam Verbo carere subsistentiâ humanâ, erit otiosa & ridicula utpote cujus sensus erit: *Humanitas unita Verbo non retinet negationem unionis cum verbo*; quod ex ipsis terminis patebat. Item istorum verborum Concil. Ephes. *Nequæ enim adjectionem Personæ vel subsistentiæ SS. Trinitas suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Dei Verbo*: Sensus esset: *ex unione hypost. SS. Trinitas non suscepit negationem istius unionis*. Ad quæ ingeniosè quidem responderi posset: intendisse Ecclesiam subvertere ipsam sua-

fundamentum hæreticorum censentium Verbum inter & hunc hominem JESUM non intercessisse unionem veram physicam, sed moralem & affectivam peculiaris amicitia per peculiaris dona gratiæ &c. cum qua unione staret persona propria istius naturæ, adeoque superioris definitionis sensum esse hunc: *Natura humana ita est unita verbo, ut non retineat negationem unionis physica, sive, quod idem est, ut amittat personam propriam, sive est unita Verbo physica unione, quæ sola destruit personam propriam.* Verum hoc est reddere definitiones Conciliorum valde obscuras & intellectu difficiles; hunc enim ex iis sensum eruere nemo, nisi valde eruditus, potuisset; ad hæc cur Concilia peculiari Anathematismo stabilivère hanc in Christo unionem esse physicam; & alio, non esse in Christo personam humanam? Secundò si subsistentia superaddat naturæ tantum quid negativum, natura humana Christi jam habebit omnem perfectionem creatam, quam habitura esset, si existeret non unita verbo, sive cum propria subsistentia; quòd enim hanc perfectionem nunc non habeat, impedit unio hypo-

stati.

statica: sed ex negatione præcisè hujus unionis natura non potest acquirere majorem perfectionem, quàm nunc habeat; cum per ablationem alicujus positivi nunquam natura magis perficiatur, nisi illud positivum, quod aufertur, sit positiva naturæ imperfectio (qualis v. g. esset ablatio cornu ex facie de cætero decora) unio verò hypostatica non est positiva naturæ humanæ imperfectio, sed summa perfectio. Tertiò nomine suppositi alieni, cui nec actu, nec exigitive debet uniri natura subsistens, vel intelligitur quid positivum, & sic suppositum seu subsisterent aliena erit quid positivum, & consequenter etiam propria; hæc enim respectu alterius naturæ est aliena; vel intelligitur aliquid negativum, & sic ad naturam subsistentem subsistentiâ propriâ sufficit, uniri negationi, adeoque omne ens erit subsistens, quia nullum ens est, aut esse potest unitum negationi. Nequè dicas, sic esse intelligendum: ut natura subsistens nec actu, nec potentiâ (quæ est cum inclinatione) uniatur alteri naturæ habenti istas binas negationes. Nam juxta Adversarios impossibile est, ut natura subsistens uniatur

naturæ alienæ subsistenti; continuò enim nec natura, quæ unitur, nec natura, cui unitur, erit subsistens, cum amittat negationem actualis unionis cum alio; & sic subsistentia jam dicit præterea tertiam negationem, nimirum unionis absolutè possibilis cum alio.

V. Sed est subsistentia aliquid positivum à natura distinctum, & radix, ex qua immediate memoratæ sæpiùs negationes binæ, & quidem posterior, nempe unibilitatis, quæ est cum inclinatione, necessariò, resultant, sicut ex unitate resultat negatio identitatis cum alio, ipsa verò unitas non est formaliter hæc negatio; debet enim esse ratio, cur natura, non exigat, aut possit naturaliter uniri alteri, hæc alia non est, quàm quòd natura antecedenter ad has negationes completa sit ultimo complemento positivo, quod ideo ex se emanat, veluti ejus causa materialis simul & efficiens, ut propriæ indigentia succurrat, à quâ emanatione si impediatur, ex indigentia inclinatur ad unionem cum alio. Sic deum bene intelligitur, quomodò Verbum assumpserit naturam humanam, ejus subsistentiâ relictâ inassumptâ, quam etiam im-

plicat

plicabat assumi, aut reddi subsistentem, cum sit terminus ultimus in ratione subsistendi (ex quo tamen non sequitur, subsistentiã creatã & increatã esse sibi contrarias, sicut non sequitur, duas ubicationes esse sibi contrarias, ex eo, quòd una alteri nõ possit uniri, & reddere illam ubicatam.) Hoc non obstante bene dicitur Christus, assumpsisse rem omnem plantatam in natura, intellige, pertinentem præisè ad rationem & constitutionem naturæ: esse nobis similem in omnibus, & intellige, præisè ad naturam ut condistinctam à subsistentia spectantibus; loquuntur enim Patres in sensu accommodo, sicut etiam locuti sunt in Concilio Tridentino, definientes, manere omnia accidentia panis in Eucharistia, nimirum iis exceptis, quæ remanere implicabat, qualia erant ubicationes panis. Negant verò Patres humanitatem habere propriam subsistentiam, quia est unita Verbo; non quòd hæc unio formaliter sit non esse subsistentiæ propriæ, sed quòd ex hac unione naturaliter sequatur negatio subsistentiæ propriæ, impedit siquidem unio hypost. ne natura emanet subsistentiam suam, per quod nihil destruit

in humanitate, neque infert ei injuriam, cum subsistentiam creatam subsistentiâ infinite perfectiore compenset; poterat de cætero cum hac unione subsistere simul subsistentia propria; de quo infra. Ex eo autem, quod persona definiatur à Boëtio: *Rationalis natura individua sive incommunicabilis substantia*; & individua substantia seu individuum sit indivisum in se & divisum à quolibet alio, malè inferitur, superaddere naturæ solam separationem ab alio, seu formalem negationem unionis vel identitatis cum alio; aliter enim hanc separationem seu divisionem ab alio explicamus, ubi de unitate agimus, quæ vide. Neque ex eo, quod totalitas integralis v. g. aquæ permittatur consistere in negatione ulterioris aquæ, bene inferitur etiam subsistentiam in ea partialiter consistere; hæc enim est totalitas essentialis.

VI. Non est tamen subsistentia creata quid absolutum, sed modale; est enim veluti forma, quæ per se ipsam ita immediate afficit subjectum, ut impossibile sit illam existere, & non afficere actu hoc
sub-

subjectum, quæquæ subjectum de se indifferens, ut subsistat per se, id est, positivè terminatum ultimo suo complemento (etsi de se determinatum, quatenus substantia est, ut subsistat per se, id est, sine subjecto inhætionis) determinat & complet in ratione subsistentis. Et sufficit hæc distinctio realis minor, quæ est inter naturam & subsistentiam veluti inter rem & modum, ad omnia explicanda, quæ de mysterio Incarnationis fides docet; nequæ major distinctio colligi potest ex eodem mysterio. Nihilominus hæc subsistentia suppleri potest à Verbo, utpote quòd illam supplet, non in ratione modi vel formæ, sed in ratione subsistentiæ, quæ abstrahit ab utroquæ, tantumquæ dicit terminum & complementum naturæ, & hoc facere potest Verbum sine imperfectione, cum Verbum formaliter sit subsistentia; calorem autem v. g. supplere non potest in ratione caloris, quia Verbum formaliter non est calor.

VII Effectus formalis primarius subsistentiæ non est, reddere naturã independentẽ seu incapacẽ dependentiæ à subjecto sustentationis;

hoc enim habet per creationem, & per hoc, quòd sit compositum, (si est composita) frustra autem est forma, quæ superadditur rei jam aliunde incapaci ad aliquid, ex eo tantum fine, ut reddat eam incapacem, sicut otiosa esset visio beatifica in Christo, si ea illi, qui jam vi unionis hypostaticæ est incapax peccati, daretur ad eum tantum finem, ut reddat illum incapacem peccati. Nec est, reddere naturam potentem substare accidentibus & informari ab illis; potentia enim substandi accidentibus mediâ educatione & unionem est ipsa materiæ entitas; & actu illis substat per educationem passivam, informaturque ab iis per unionem; subsistentia autem non est ista passio, nec unio accidentalis. Nec est, complere naturam in ratione operandi, quia prius est, complere eam in essendo; ex eo autem axioma: *actiones sunt suppositorum*: tantum infertur, actiones, eo ipso tribui supposito, quòd procedant à natura terminata subsistentiâ; posito autem, quod sit conditio ad operandum, compleatque actum primum (non est enim ipsa virtus activa, nequidem inad-

æqua-

æquatè) malè tamen adhuc assignatur, hic esse effectus subsistentiæ, cum id sit commune omnibus conditionibus. Nec est, reddere naturam incommunicabilem alteri ut supposito; ideo enim natura est incommunicabilis alteri, quia est omnino completa in suo esse, præterea subsistentia Patris non reddit naturam divinam incommunicabilem Verbo. Demum quod pariter memoratas opiniones refellit: Philosophi veteres nihil scientes de subsistentia, agnovere substantias independentes à subjecto inhæſionis, compositas à subjecto etiam sustentationis; virtutem illarum ad operandum expeditam, substantias completas incommunicabiles alteri; ergo malè hi effectus detectæ postmodum prius subsistentiæ attribuuntur. Sed est, esse perfectionem quandam substantialem ultimò terminantem & complementem naturam, ac constituentem cum illa compositum aliquod, quod dicitur suppositum; plus enim absque errandi periculo de subsistentia inferre non licet, quàm quod de ea ex Incarnationis mysterio justè deduci potest, cum neque à priori, neque à posteriori

eius existentia aliunde nobis constet: imò si plus non dixissemus, quàm effectum subsistentiæ esse, reddere naturam subsistentem, satis dixissemus, cum accidentium ipsis sensibus notorum sæpe effectum formalem aliter explicare nequeamus v. g. viriditatis, ruboris, quàm dicendo, illius effectus formalis est, reddere subjectum viride vel rubrum. Et sic viros in Theologia & Philosophia celebratissimos de Lugo & Qviedum loqui non potuit.

VIII. Potest natura existere divinitus sine omni subsistentia; cum natura sit prior causalitate subsistentiâ, adeoque antequàm intelligatur subsistens, intelligatur jam existens. Et hæc natura existeret per se, id est, non inhaereret alteri; non existeret per se, id est, non existeret positivè terminata & perfecta propriâ subsistentiâ. Nec infertur contrarium ex eo, quòd res non possit absolvi ab omni ubi & duratione; id enim ideo fit, quia spatium & tempus imaginarium infinitè circumfusum est rei, extra quod existere aut durare nequit. Nec implicat, rem esse
sine

sine proprio suo termino, si terminus realiter adæquatè à re terminata distingua-
tur. Conservabitur verò talis natura eo-
dem influxu, quo conservabatur cum subsi-
stentia; quia ab hac non dependet ut ab in-
fluente.

IX. Materiæ & formæ respondent di-
stinctæ subsistentiæ, ex quibus componi-
tur una subsistentia compositi composita:
convenientius enim est, assignare materiæ
permanenti subsistentiam permanentem, for-
mæ caducæ subsistentiam caducam, ne per-
eunte formâ semper necesse sit dicere, perire
totam subsistentiam; & entitati compositæ
subsistentiam compositam; videtur quo-
quæ excedere vires subsistentiæ creatæ, quæ
de facto datur, posse simul terminare & per-
ficere distinctas compositi partes essentia-
les, unde, quòd id fecerit unica subsisten-
tia Verbi, infinitæ ejus adscribendum est
perfectiõni. Nequæ his obstat, quòd for-
ma materialis sit in subjecto sustentationis,
quòdque materia & forma perseverent sibi
invicem communicabiles; nam subsisten-
tiæ munus non est, reddere terminum,
quem afficit, independentem à subjecto,

aut incommunicabilem alteri, in ordine ad constituendum unum compositum; alia enim est inhaerentia, quâ quid inhaeret subjecto incompleto tanquam pars comparti ad constituendum totum: alia, quâ quid inhaeret subjecto completo seu alteri supposito, posteriorem, non priorem tollit subsistentia: similiter alia est communicabilitas materiae & formae ad invicem in ordine ad constituendum unum compositum; alia est communicabilitas materiae & formae ad alienum suppositum; similiter posteriorem, non priorem tollit subsistentia. Quinimò & unio inter materiam & formam suam quoque habet subsistentiam partialem, quae supplet simul vices unionis inter subsistentiam materiae & inter subsistentiam formae, in ordine ad conflandam subsistentiam unam totalem compositam; non tamen ideo unioni hypostaticae sua quoque assignanda est subsistentia, cum hæc subsistat subsistentiâ Verbi. Hujus rei hæc esse posset ratio sua: Verbum nihil assumpsit, nisi quod, si non fuisset assumptum, suâ substitisset subsistentiâ, jam vero suppono tanquam probabilius è Theologia; verbum assumpsisse

corpus, animam, & unionem inter ea tribus partialibus unionibus hypostaticis, è quilla, quæ terminabatur ad unionem, in morte Christi perit; nequè id obstat axiomatici: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*: siquidem hoc tantum intelligitur de assumptione partium ipsarum essentialium; constat enim multas uniones continuativas partium corporis Christi per lacerationem & vulnera periisse, quarum aliquæ nunquam sunt resumptæ.

X. Nihil est in eo implicantia, quòd una subsistentia creata pergens afficere naturam propriam, simul terminet unam, aut plures naturas alienas; non enim id arguit vim infinitam in subsistentia creata, sicut vim infinitam non supponit in albedine, quòd eadem possit plura & plura in infinitum subjecta informare, accedente omnipotentia divinâ plurium & plurium unionum productiva. In isto itaque casu talis subsistentia immediate seipsâ afficeret & terminaret naturam propriam, utpote respectu cuius non est indifferens, ut communicet illi effectum suum formalem, vel non; alias verò naturas terminaret mediâ unionem, utpote respectu

d 7

qua-

quarum est indifferens, ut terminet illas, vel non, adeoq; eget determinatione actuali sibi superaddita. Neq; hoc est naturæ modi contrarium; is enim est actuale exercitium & communicatio sui effectus formalis per seipsum, respectu modificati, cui seipso unitur, & non respectu modificati alieni. Nec dicas: Petrus nō potest sedere sessione Pauli, ergo nec subsistere subsistentiâ Pauli; nam præterquam quod ab his modis imperfectis ad perfectos & substantiales, suspecta sit argumentatio, cur Petrus non possit sedere sessione Pauli mediâ unione ad se terminata?

XI. Similiter in eo nihil est implicantiæ, quod una eademq; natura simul terminetur pluribus subsistentiis propriis vel alienis, creatis vel increatis; singulæ enim subsistentiæ de se aptæ sunt terminare eandem naturam, & natura assumpta ab una persona, parem retinet potentiam, saltē obedientialem, ut terminetur ab alia persona; nulla præterea subsistentia cōstituit naturam formaliter non unitam alteri subsistentiæ, sed tribuit tantum naturæ, ut hæc nō possit per seipsam exigere terminari ab alia subsistentia, vel etiam ut possit exigere, non terminari ab alia subsistentia, qui effectus

effectus formalis subsistentiæ nõ tollitur, etsi Deus naturæ jam subsistenti cõtra vel præter hanc exigentiam superaddat aliam subsistentiam. Ubi tamen duo notãda sunt; primum; aliud esse, quærere, num plures subsistentiæ propriæ, aut plures uniones ad subsistentias alienas possint simul educi ex hac natura, quæ de facto datur, id saltẽ fieri, non est necessarium; poterunt enim aliæ subsistentiæ & uniones creari. Alterum, in isto casu nunquam unam subsistentiam uniri alteri, aut ex pluribus fieri unam; id enim fieri nequit, & hoc voluisse videntur D. Thomas aliq; negãtes plures personas posse incarnari in eadem natura.

XII. Unde poterat Humanitas etiam retinens propriam subsistentiam assumi à verbo. Neq; SS. Patres & Concilia contra Nestorium stauentia, Humanitatem Christi non retinuisse, aut habuisse subsistentiam humanam, pro fundamento habuerunt, id nec divinitus quidem fieri posse, sed scripturam loquentem de Christo tanquam de una persona, eaq; divina; si enim in Christo simul esset persona humana, hæc Christi & scripturæ Verba: *Ego & Pater unum sumus: Tu es Christus filius Dei vivi*: falsum effecissent sensum, nimi-

76 *Dissertat. Sexta de composit. & subsistent.*
nimirum hunc : persona humana & divina
est unum cum Patre ; est Filius Dei ; cum
Tò ego & tu partialiter debuissent suppose-
re , imò magis pro persona creata , utpote
magis per has ^{regulas} *partiales* demonstrabili. In
summa itaque talis natura pluribus termi-
nata subsistentiis sisteret in se , per propriam
subsistentiam , & sisteret in alio per alie-
nam , quæ non sunt contradictoria , præ-
terea sistere in se dicit duo , unum positi-
vum , nimirum habere terminum pro-
prium, à quo compleatur, & vi cuius non
egeat alio, & hic est effectus primarius sub-
sistentiæ ab ea inseparabilis ; alterum nega-
tivum , nimirum naturam non terminari
alienâ subsistentiâ , & hic est effectus secun-
darius subsistentiæ , ab ea separabilis ; Item
talis natura ultimò terminata & completa
naturaliter , obedientialiter ulteriùs com-
plebilis , completur per plures subsisten-
tias in ordine ad plura supposita
à se invicem inadæquatè
distincta.

* * *
* *

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA

De Natura & Arte.

I. **N**ATURA est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest, primo & per se, & non per accidens: sive est causa, ut moveatur id, in quo est, sive cui inest, tanquam pars essentialis. Per motum intelligitur generatio, augmentatio, motus localis; in summa motus corporeus & sensibilis. Per quietem non intelligitur mera negatio vel cessatio motus, sed positiva permanentia, vel possessio terminorum per motum productorum. Particula & accipienda est copulativè; non enim datur motus sine termino, nec terminus sine motu, nam & partes cæli continuò moti acquirunt novæ & novæ ubicationes, quæ sunt termini hujus motus, & terra semper quiescens conservat suum ubi, quæ conservatio est motus. Dicitur: *cui inest*: quia natura debet esse causa, ut generetur, augmentetur, alteretur id, cujus ipsa pars est essentialis: hinc ignis natura non est respectu alterationis, quam producit in subjecto extraneo, qui motus dicitur tamen
natu-

naturalis; quia procedit à causa secunda naturaliter operante. Et quidem debet ei, quod movetur, inesse primò, id est, debet esse quid substantiale & de essentia & primo conceptu essentiali rei, qualis non est subsistentia, aut ullum accidens, etsi causa sint motus ejus, in quo insunt.

II. Materia, tam ut est principium passivum seu subjectum receptivum motus; quam ut est principium activum & emanativum suarum proprietatū & ubicationum, est propriè dicta natura; quia utroq; modo est verè causa, ut moveatur id, in quo est &c. Neq; hinc sequitur, nullum dā dum motum violentum; etsi enim nullus detur motus violentus respectu materiae præcisè secundum se spectatae, utpote indifferentis ad omnem motum recipiendum, datur tamen adhuc motus violentus respectu materiae, ut inexistentis composito, & jam determinatae per formam ad certam rationem compositi & certam speciem motus; sic enim determinatur materia à forma V. G. ignis ad motum sursum. Cui nō obstat, quòd materia in hunc motum influat; nam ille motus non dicitur violentus, in quem passum nullo modo influit; sed in quem non influit cum inclinatione.

III. Si-

III. Similiter ob eandem rationem forma, etiam ut est principium activum, est propriè natura; licet enim solum principium passivum recipiens in se motum denominetur mutari, non tamen solum est principium motus; sed datur præterea necessariò principium ejusdem activum, adeoq; solum passivum principium non est natura. Arist. autem inquit: eam formam solum esse naturam, quæ non nisi per rationem est separabilis à materia; eas tantùm formas vult esse naturas, quæ non nisi cum destructione compositi sunt separabiles à materia, & à ratione naturæ illas removet formas, quas nos extrinsecas seu assistentes (ut sunt Angeli moventes cælum) dicimus. Illud hic notandum; materiam & formam esse duas naturas completas in ratione naturæ, utpote quarum singulis verè competit adæquata naturæ definitio: non esse tamen aliquid absolutè completum, cum de essentia naturæ hinc definitæ sit, esse partem; sicut nec sunt completæ naturæ, intelligendo per nomen *natura* essentiam rei. Quinimò etiam anima rationalis ut talis, unita corpo-

corpo-

corpori (separata enim non potest esse natura in rigore aristotelico, cum non sit causa, ut moventur id, cui inest) est propriè natura; Nam ut talis est forma distinguens hoc compositum ab aliis, adeoque ejus pars; est item causa motuum physicorum V. G. intellectuum, quæ licet de se sint spirituales, in quantum tamen procedunt ab anima unita corpori, sunt motus totius corporei, & connexi cum motu sensibili & corporeo phantasmatum aliorumque sensuum & eorum organis.

IV. Non tamen totum compositum in rigore est natura; quia non est causa, ut moveatur id, cui inest tanquam pars. Et sic docet Arist. inquiring: *compositum quidem natura non est, sed constat naturâ*; neque sibi contradicit alibi inquiring: *natura quidem sunt animalia partesque ipsorum & planta & simplicia corpora*; hæc enim & ejusmodi res naturâ dicimus esse. Sic enim intelligendus est: *animalia & partes animalium sunt à natura &c.* quod patet ex eo, quod statim subdit: *alia verò sunt ob alias causas &c.* puta, ab arte, vel à casu. Vel sic est intelligendus, ut *à natura* sit ablativi casus & idem significet,

cet, ac ea constare naturâ dicimus, ut patet ex græco ταῦτα εἶναι, φύσει φαιμέν: Unde τὸ *natura* prius positum respectu animalium & partium animalium est analogicum, utpote quod respectu animalium sumitur pro entitate constante naturâ, respectu partium sumitur propriè. Similiter unio compositi substantialis non est natura, si ad eam requiras, esse constitutivum compositi *ut quod*.

V. Motus naturalis (pro ut τὸ *naturale* opponitur violento) est, qui est secundum exigentiam vel inclinationem ejus, in quo motus & ejus terminus est, tanquam in subiecto denominationis, quod est totum compositum: attendendum autem præcipuè est ad formam, num sit juxta eius inclinationem. Motus medius seu neuter & præternaturalis est ille, qui nec est juxta, nec contra, nec supra exigentiam rei, talis est lux respectu aëris, forma statuæ respectu ligni, vel potius productio lucis & formæ statuæ. Violentum est: *quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim*: id est, motus vel terminus procedens effectivè à principio non incluso in ipso toto, cui non censetur passum conferre vim, etsi in illum motum influat materialiter seu
passi-

passivè, dummodò id fiat absq; inclinatione, & cum reluctancia seu resistantia. Porrò violentia alia est cōtra appetitum innatum, dum potentia alicui activæ vel passivæ, negatur actus vel forma illi debita, vel inducitur actus contrarius: alia est cōtra appetitum elicatum animantis, dum contra illum obtruditur illi, vel negatur actus vel forma. Quando autem in eodem subjecto est appetitus innatus v. g. cadendi deorsum, & simul appetitus elicitus ascēdendi sursum, motus dicitur naturalis vel violentus ab appetitu superiore qualis est elicitus: sic ascēsus sursum est simpliciter naturalis, secundum quid violentus, in quantum est contra appetitum innatum. Talem violentiam voluntas creata pati non potest à Deo, quò ad actus proprios immediatè à se elicitos, utpote qui sunt ipsa actualis inclinatio & appetitus elicitus; quos tamen si Deus subtrahendo concursum impediatur, quò ad illos dici potest pati violentiam; patitur etiam positivam violentiam, si à Deo illi injiciatur amor vel potius terminus amoris contra appetitum elicatum; demum corruptio tunc est rei violenta, quādo hæc exigit conservari ulterius; non quòd res, dum non est, resistat interitui; sed quia ante,
dum

dum erat, exigebat, ne destrueretur pro tempore hoc, quo destruitur.

VI. Supernaturale est, quod est supra vires & exigentiã omnis substãtiæ creatæ & creabilis; sic calor, etsi sit supra vires & exigentiã aquæ, est adhuc naturalis, quia non est supra vires omnis substãtiæ, utpote ab igne producibilis & exigibilis: & si daretur accidens à nulla substãtia de facto creata exigibile, dumodò creari possit aliqua substantia, à qua exigere- tur, foret adhuc naturale. Illud dicitur supernaturale quò ad substãtiã, quod in nullis circũstantiis ab ulla substãtia creata vel creabili exigi aut produci potest; talis est gratia sanctificã. Illud est supernaturale quò ad modum tãtum, quod absolutè alicui substãtiæ est debitũ, in his tamẽ, aut illis circũstantiis est omninò indebitũ. v.g. visus restituitur cæco nato.

VII. Ars habitualis est habitus cũ recta ratione factivus, id est, inclinans in cognitionẽ practicã directivã operis externi faciendi seu operationũ transeuntium in materiam externam. Ars actualis est ipsa illa cognitio practica. Opus artificiosum est illud, quod juxta regulas artis ab artifice ex cognitione & intentione opus rectè faciendi produetur. Ars nulla potest per se efficere

84 *Dissertatio Septima de natura & arte,*

opera naturæ ; quia in nullum effectum influuit effectivè, & forma per artem directivè producta, non est ipsa rerum substantia seu natura, sed certa tantùm ipsius naturæ modificatio & dispositio. Potest nihilominus ita dirigere potentias executrices, ut effectus naturales certo modo faciliùs efficiant ; item causas naturales ita sibi invicem admovere & commiscere, ut hæ agendo in se mutuo & patièdo, effectus producant naturales, etiam animatos : sic itaqùe in specie potest doceri modum faciendi aurum ; cùm in eo nulla sit implicantiã, nec ratiõne materiæ, quæ omnium formarum est capax, nec ex parte formæ, cùm hac ratiõne per artem formæ producantur longè nobiliores ; nec ex parte dispositionum, cùm calor v. g. solis aliæq; aliunde suppleri possint.

VIII. Forma vel figura operis artificiatum nihil est distinctum à certis ubicationibus sive, quod idem est, à certa distantia vel indistantia partium rei artificiosæ, ita tamen ut simul essentialiter dicat ablationem partium superfluarum ; aliàs in quocunqùe trunco indolato erunt omnis generis formæ artificiales, cùm hic habeat certas & easdem suarum

una partium ubicationes, antequam dedole-
tur, quas habet; post factam ex eo statuam.
Nequè hinc sequitur, illum, qui movet sta-
tuam, utpote qui facit, ut partes ejus novas
physicè acquirant ubicationes, producturum
novam statuam: nam manent partes statuæ
æquè inter se distantes, & acquiruat ubica-
tiones omninò prioribus similes, adeoquè
manent ubicationes moraliter eadem; præ-
terea movens statuam non producit illas ubi-
cationes primò, aut arte dirigente, quod ad
denominationem artificis requiritur.

DISSERTATIO OCTAVA

De Causis in genere.

I. **C**AUSA est principium (per quod conve-
nit cum Patre in divinis, qui est prin-
cipium Filii generati) *influens* (id est, ex intrin-
seca sua virtute communicans & dans alteri
esse, quod non faciunt conditiones, sed sunt
tantùm id, sine quo causa non daret effectui
esse) *per se* (id est, cum intentione & incli-
natione; si enim æquè vel magis inten-
deret oppositum, non est propriè causa:)
influxu ex se formaliter defectibili, id est, non
neces-

necessariò existente ; qualis adhuc esset ille, ex se, quo Deus per impossibile sine libertate seu necessariò produceret aliquã creaturam, etsi defectibilis non esset defectibilitate extrinseca, desumptã à principio ad producendum indifferente ; quamvis tamen in ordine ad tales suppositiones impossibiles res nõ definiantur. Per hoc igitur Pater divinus excluditur à ratione causæ ; cùm enim influxus seu generatio & spiratio activa identificentur principiis activis seu Personis producentibus, & hæ Naturæ divinæ indefectibili, etiam ipse influxus talis est, & non potest non existere. Transire quoq; potest definitio allata à Sylv: Mauro: *causa est aliquid, saltem sustentativè, concurrens ad dandum esse alteri, quod nec identicè quidem est à se* (qualiter Filius in divinis est à se) sed longior est, & fusiore eget explicatione. Illa Suarez: *causa est principium per se influens esse in aliud* : inde displicet, quòd rò *aliud* nimis sit æquivocum ; vel enim significat essentiam seu naturam, pro ut rò *natura* significat quodcunquẽ ens distinctum à personalitate ; & sic natura activè & passivè producens subsistentiam, non influit in aliud, adeoquẽ ejus causa

non

non est ; vel significat quamecunquē quidditatem, pro ut hac etiam comprehenditur accidens , substantia &c. & sic Pater in divinis adhuc influit in aliud. Si tamen significare debet quamecunquē quidditatem seu entitatem absolutē & simpliciter ab entitate producentis distinctam (quali modo nec Filiatio, nec Filius in divinis est entitas absoluta ab entitate absoluta Patris distincta, cum bene adhuc dicatur : entitas illa, quæ est Filius, est entitas illa, quæ est Pater) nihil contra illam definitionem habemus, quàm quod id per *τὸ aliud* non satis exprimitur.

II. Causa constituitur in actu primo remoto (intellige physico ; actus enim primus logicus est pura possibilitas rei, sicut actus secundus logicus est ipsa rei existentia) per propriam suam entitatem potentem producere effectum, cui adhuc aliquid deest, ex prærequisitis ad agendum, adeoque in obliquo dicit unam pluresve negationes, quò actus primus est remotior. Actus verò primus proximus est eadē entitas causæ habens omnia ad agendum, sive omnia ante actualem positionem effectus prærequisita V. G. præparatio-

parationem concursus divini, applicationem ad passum &c. Non constituitur tamen in actu primo per causalitatem & effectum possibilem; quidquid enim intrinsecè pertinet ad actum primum, vel est physicè productivum, vel requisitum ad physicè producendum effectum & causalitatem, ac consequenter existit; causalitas autem tantùm possibilis nec actu existit, neq; est physicè productiva causalitatis actualis; nequè quid requisitum ad productionem sui ipsius: & licet causalitas possibilis habeat actum primum logicum respectu sui ipsius ut existentis, non habet tamen actum primum physicum seu potentiam operativam respectu sui ipsius: potest tamen dici mediatè constituere actum primum, & ab eo connotari extrinsecè, in quantum virtus causalitas^{va} (quæ intrinsecè & immediatè constituit actum primum) essentialiter seu transcendentaliter respicit tam causalitatem, quàm effectum possibilem; & in quantum hæc effectus possibilitas tenet se objectivè, ex parte decreti divini decernentis concurrere, quod ^{de} concretum constituit intrinsecè actum primum, & non esset sine repræsentata priùs hac possibilitate. Atque

quæ hæc ita mediatè tantùm constituenta actum primum, dicit Oviedo, posse dici, requiri ad actum primum, non verò ex parte actus primi. Quod attinet ad remotionem impedimenti; si illa sit ipse effectus secundarius actus secundi (qualis est expulsio frigoris respectu productionis caloris) non pertinet ad actum primum; ad hunc enim spectant tantùm ea, quæ sunt priora effectui. Si autem tale impedimentum per actum secundum non est auferibile, ejus remotio spectat ad actum primum causæ liberæ, cum libertas excludat omnem determinationem, etiam extrinsecam ad negationem effectus: non tamen spectat ad actum primum agentis necessarii; sic ignis V. G. habens omnia ad producendum calorem requisita, applicatus passo validissimè cõservanti suum frigus, erit adhuc in actu primo proximo, etsi vincere non possit & tollere impedimentum frigiditatis impediens, quò minùs producat calor; si enim illæ solæ causæ necessariæ essent in actu primo, quæ possunt vincere tale impedimentum extrinsecum, non dabitur resistentia causarum; quia non dabuntur duæ causæ contrariæ in actu

e 3

primo

primo expeditæ ad effectus cōtrarios incon-
possibiles, cūm utraq; non sit potens vincere
aliam, qualis si sit utraq;e, utraq; simul potest
vinci & vincere. In actu secundo constitui-
tur per causalitatem.

III. Inter causam & effectum est, & sufficit
prioritas naturæ, quæ sic bene explicatur,
quòd sit independentia causæ ab effectu tan-
quam influente (etiamsi de cætero cum eo ne-
cessariò connectatur, & sine eo esse nō possit,
ut causa necessaria ad agendum expedita esse
non potest sine effectu) & dependentia effe-
ctus à causa tanquā influente, sive quòd cau-
sa det effectui esse per veram causalitatem &
ab eo vicissim nō accipiat esse: dicitur quoq;
hæc prioritas prioritas *in quo*; prioritas verò
à quo comprehendit & hanc & prioritatem
simul originis. Non tamen causa spectata
materialiter præcisè secundum suam entita-
tem & in actu primo est prior naturâ suo ef-
fectu; sed spectata formaliter, & pro ut
actu influit in effectum; quia etsi causa,
quòd sit ab effectu independens, habeat ab
entitate sua; nihilominus per actualem
causalitatem, & non nisi actu causans habet
causa, quòd effectus à causa dependeat;
sic

sic etiam causæ dicuntur naturâ priores effectibus, si qui ab ipsis absq; media causalitate dependerent, in quantum actu dant illis esse.

IV. Causa efficiens physica (pro ut hæc opponitur intentionali V. G. finali, quæ existens solum repræsentata per intellectum movet voluntatem ad volendum se assequi; & morali, quæ sæpè etiam non existens à parte rei, sed repræsentata tantum ut jam præterita, vel ut absolutè existitura movet causam physicam, ad quid aliud à se distinctum producendum) ne quidem supernaturaliter potest causare, physicè influendo in effectum, pro primo instanti suæ desitionis, quando primò non est; sicut enim tunc non habet esse actu, sic quoq; non habet virtutem causandi actu; certè si illam habeat pro primo instante desitionis, cur non etiam pro sequentibus instantibus? & quomodo dabit alteri esse actuale, quod ipsum non habet esse actuale? implicat præterea esse modum, qualis est causalitas, actu, & non esse actu ejus terminum. Non sufficit itaq; sola contiguitas temporis causam inter & effectum, sicut sufficit sola contiguitas loci inter ea, & non requiritur, ut sint in eodem loco,

quia sola contiguitas temporis tollit fundamentum actionis, nempe existentiam, quod non facit contiguitas loci. Neq; in contrarium facit, dum pila projecta in altum pergit moveri sursum, projiciente immediate post projectionem mortuo; hujus enim motus immediata causa est impulsus, qui manet, projiciente jam mortuo.

V. Nulla causa præsupposita necessario existens physicè ante suum effectum (quales causæ sunt formalis, materialis & efficiens) potest vicissim causari à suo effectu quò ad primum esse, nec in eodem, nec in diverso genere causæ, ne quidem supernaturaliter; daret enim talis effectus suæ causæ primum esse, ut dicitur, & non daret, quia causa ista jam supponitur aliunde habere suum esse, utpote sine quo non potuisset producere hunc effectum; quod autem supponitur habere esse ante effectum, hoc ab illo non accipit primum esse, primum esse siquidem illud dicitur accipere, quod ita accipit esse, ut non supponatur illud aliunde habere. Esset præterea talis effectus sui ipsius causa, adeoque se ipso prior, cum sit causa suæ causæ, adeoque & causati per illam, quod causa.

causatum est ipse. Non igitur dispositiones
causant formam & vicissim ab illa causantur;
quia tantum disponunt ad formam, & pri-
mo producuntur à generante, & licet dein
conserventur à forma introducta, forma ta-
men tum vicissim non conservatur ab iis, nec
intuitu illarum, sed intuitu sui ipsius, adeo-
que ab iis in nullo genere causæ seu à prio-
ri dependet, sed ad summum à posteriori,
si illi connaturaliter sine his dispositioni-
bus non debeat conservatio. Neque in-
troducitur novæ formæ causatur vicissim ab
expulsione veteris formæ, quam ipsa causa-
vit; unde dum dicitur: ideo introducitur
forma nova, quia expellitur vetus: non in-
troduceretur nova nisi expelleretur vetus: *tò*
ideo & nisi non important sensum proprie
causalem; sed tantum significant connatu-
ralem connexionem inter introductionem
novæ & expulsionem veteris formæ; sicut
etiam sumitur in hac propositione: *nisi cede-
ret fenestra, non ingrederetur ventus*, significat
enim duas res esse sibi invicem condiciones
concomitantes, nempe ventum non posse
esse in loco fenestræ, nisi illa simul repella-
tur &c. sicut & in hac propositione: *rota*

priores in curru quatuor rotarum non moventur, nisi simul moveantur posteriores: de cetero & apertionis fenestæ & ingressus venti causa est impulsus, si per apertionem fenestæ intelligas motum localem, quo illa prius ubi deferens acquirit novum; similiter negatio istius prioris ubi tam venti, quàm fenestæ, causatur ab impulsu, sive vis impellens sit in ipso vento, sive in alio. Neq; duo ligna sibi opposita in modum coni inferunt mutuam causalitatem; quia singulorum ubicationes causantur à suis ubicatis, negatio autem ulterioris motus sequitur ad utriusq; ligni ubicationem: ex eo autem quòd unum lignum alterum impediatur, quòd minùs moveatur ulterius, sequitur tantùm, duo posse esse sibi invicem impedimento. Neq; manus duæ confri-cando se incalescentes; quia calor in utraq; manu simultaneè producitur per spiritus vitales à motu excitatos. Neq; prunæ conservant se influendo in se invicem, sed tantùm junctis viribus fortius resistunt contrario. Potest nihilominùs causa finalis causari vicissim à suo effectu in genere causæ efficientis V.G. potest ambulatio physicè causare sanitatem, à qua ambulatio causata fuit finaliter;

&

& de his intelligendus est Aristoteles inqui-
ens : *quadam vicissim sunt sibi causa.*

VI. Similiter naturaliter nequeunt duæ
res se mutuò producere quò ad secundum ef-
se ; foret enim ista secunda productio & mul-
tiplicatio actionum totalium respectu ejusdē
effectus superflua in ordine ad finem à natu-
ra intentum , potest id tamen fieri divini-
tus : V. G. possunt duo ignes producti à
solo Deo in eodem instante à Deo elevari ad
se mutuò producendos , imò effectus ad re-
producendā suam causam, per actiones, quæ
prioribus superveniant , illasquē essentialiter
præsupponant, utpote per quas accipiunt pri-
mum esse & existētiā, quæ est fundamentū
necessarium , ut possint operari , & secundò
producere suam causam vel rem aliam. Et sic
tales duæ causæ essent sibi priores & poste-
riores prioritate & posterioritate sive depen-
dentiā & independentiā fundata in diversis
actionibus V. G. ignis A producens secundò
ignem B, & secundò reproductus ab igne B,
quò ad primum esse , quod habet indepen-
denter ab igne B, & à quo dependenter dat
secundum esse igni B , est prior igne B : quò
ad secundum esse , quod accipit ab igne B
e 6 existen-

existente per primum esse, est posterior illo. Ex his tamen non sequitur, posse similiter Filium secundò producere Patrem in divinis; productiones enim in divinis singulæ singulas diversas constituunt personas, nec potest una persona constitui per duas productiones, utpote quarum una superflua; ideoque sicut personas, sic & productiones implicat multiplicari.

VII. Probabilius quoque censetur, posse idem se ipsum divinitus producere quò ad secundum esse, cum in eo non appareat repugnantia. Neque enim ista secunda productio esset dependentia rei à se ipsa, & non esset, utpote talis, sine qua & alià in ejus locum suffectâ potest existere; nam talis quidem est dependentia simpliciter talis, non verò secundum quid sive quò ad secundum esse tantum talis; & dicit dependentia in genere actualem influxum ex se defectibilem. Neque implicat, causam secundò rem producentem non tollere ejus ad existendum indifferentiam (quanquam tollat indifferentiam rei, quam habet ad hoc, ut secundò producat) sicut implicat, causam primò
rem

rem producentem id non facere. Neque implicat rem respectu ejusdem actionis esse in fieri secundo, & simul in facto esse. Neque ista actio secunda supponit effectum suum formalem adæquatum, qui est complexum ex re existente & secunda actione, quod complexum non supponit secunda actio, sed constituit. Neque invalidatur hac ratione argumentum SS. Patrum probantium Patrem distingui realiter à Filio in divinis, quia est produciens & productum; nam illi supponentes, ibi semper esse distinctionem realem inter produciens & productum, ubi aliquid naturaliter produciatur, bene intulerunt, Patrem distingui à Filio; quia quidquid Deus producit ad intra, id producit naturaliter. Si autem propter hanc indistinctionem producentis & producti directes, rem illam appellare causam sui ipsius, dic, esse principium, quamvis nos, dum causam definivimus, in *τὸ aliud* vim non fecerimus.

VIII. Possunt plures causæ finales in actu secundo totales (qualis dicitur illa, non quæ influit sine consortio alterius; sed quæ influit in fluxu se solo sufficiente ad effectum ponendum,

dum, ita ut ex vi hujus influxus, etsi altera causa abesset, adhuc poneretur effectus) naturaliter influere in eundem effectum seu actionem externam. Potest enim illa imperari à pluribus actibus internis habentibus plura motiva seu fines, qui actus imperantes, quia physicè non influunt in actum externum, hic ab illis non specificatur, sed manet & procedit idem, sive ab hoc, sive ab illo, sive ab uno, sive à pluribus diversis actibus internis imperetur; è quibus actibus nullus est superfluous, saltem in ordine ad operantem (etsi de cætero alter superfluous sit respectu præcisè actionis, quæ eadem procedit uno illorum deficiente) cum volitiones appetitivæ non tantum ordinatæ sint à natura ad imperandam existentiam mediæ seu effectus externi; sed vel maximè ad bene vel malè afficiendam voluntatem. Idem tamen actus internus voluntatis ne divinitus quidem causari potest à pluribus finibus totalibus totaliter influentibus; quia fines semper sunt formalia motiva actuum voluntatis, non potest autem idem actus voluntatis habere plura objecta motiva adæquata, cum non possit ab eis ita procedere, ut maneat idem actus uno moti-

motivo deficiente. Potest ergo aliquis velle ire in patriam suam, & ut parentes ægros invifat, & simul ut accipiat pecuniam, ita ut horum finium uno deficiente, adhuc velit ire, non tamen id potest velle per eandem volitionem, quâ volebat ire propter utrumquæ finem, sed per aliam specie distinctam.

IX. Non potest naturaliter eadem forma simul è duplici subjecto totali per duplicem educationē totalem educi, aut idem effectus à pluribus causis efficientibus totalibus totaliter influētibus procedere; semper enim una actio & una causa erit superflua; nam cum effectus ad sui existentiam non exigat totalē conatum plurium caufarū seu duplicē actionem, Deus agens ordinariè juxta naturalē rerum exigentiam, non concurrat ad duplicem actionem totalem, seu ad omnem conatū & virtutem, quam habet utraq; causa totalis in actu primo, exserendam, sicq; per hunc Dei concursum vis operativa caufarū necessariorum ligatur, & determinatur, ut actione attemperatâ concurrant; si verò effectus intentionis sit capax, tunc duæ causæ effectum producent intensiorem, respectu cujus tamē
singul-

singulæ non erunt causæ totales, cum singulæ seorsim non sint sufficientes ad tantam intentionem producendam. Fieri nihilominus id potest supernaturaliter; in eo enim, quòd passum plures totales actiones recipiat, effectusque eas terminet, nulla est repugnantia. Præterea ex eo, quòd unum agens exserat omnem conatum & vim activam, non evacuatur intrinsicè vis activa alterius; & licet actio una respectu effectus & finis à natura intenti sit superflua, non tamen respectu omnipotentia & finis ab ea intenti. Itaque in isto casu effectus à neutra causa determinatè dependebit, si per *dependere* intelligas, egere alicujus influxu ad existendum; est quippe actio indeterminatè accepta, seu aliqua actio egentia effectus, non verò hæc vel illa determinata actio: dependebit ab utraque, si per *dependere* intelligas, accipere ab aliquo esse; item dependebit ab utraque determinatè, si per *dependere* intelligas, egere aliquò ad existendum tali modo per duplicem actionem totalem. Potrò si effectus eodem instanti producat per duplicem actionem totalem, neutri præsupponitur existere; si producat per actionem
tota-

totalem secundò, seu supponentem primam productionem, præsupponitur effectus existere ante secundam actionem, sed non quò ad secundum esse; Et licet hæc secunda actio superveniens non traducat effectum à non esse ad esse (quod est solius actionis primò productivæ) dat tamen rei idem esse secundò, & traducit illam à non esse secundò ad esse secundò, simulquè cum priore rem conservat, vel si prior pereat, in locum ejus succedit. Deniquè concurrent tales duæ actiones ut elevatæ quò ad modum tantum, in quantum in circumstantiis conjunctionis non debetur illis concursus Dei simultaneus totalis; adeoque spectatæ quò ad modum sunt ambæ causæ instrumentales.

X. Potest idem numero effectus divisim causari à pluribus causis totalibus, sive ita causari ab hac causa, ut potuerit causari ab alia (nisi tamen quid obstet, uti ipsi actus vitales procedunt ab hoc numero principio, ut non potuerint iidem numero procedere ab alio principio) sicut enim idem effectus conservari potest à pluribus causis sibi succedentibus, imò & intendi ab aliis

aliis causis, quàm à quibus primò productus est, sic quoquè videtur à pluribus causis divisim posse primò produci. Per accidens igitur est effectui, quòd ille procedat ab hac numero causa, & ad hoc determinatur formaliter à causalitate, efficienter à solo Deo, & consequenter pendebit effectus hic per accidens ab hac causa, si per tò per accidens *dependere* intelligas, contingenter, & non essentialiter dependere; non verò dependebit ille per accidens, si intelligas dependere à causa non propriè tali, sed habente se per accidens. Illud autem *Ecclesiast. honora parentes, & memento, quia nisi per illos, natus non fuisses*: supponit Deum constituisse, quinam, & ex quibus nascituri sint parentibus, & stante hoc decreto te non fuisse nasciturum, nisi ex his tibi à Deo constitutis parentibus.

XI. Omnis actio & effectus quò ad possibilitatem essentialiter connexus est cum suis causis & principiis, & his implicantibus etiam implicat ille; effectus enim & actiones non possunt actu existere (quod est aliquid esse impossibile) nisi etiam actu possint existere eorum causæ: dein ab illo
enti-

entitas possibilis dependet objectivè sive in statu possibilitatis, à quo eadem entitas existens dependet realiter in statu existentiae. Vice versâ omnis causa tam creata, quàm etiam increata in actu primo dicit connexionem essentialem seu respectum transcendentalem ad suos effectus possibiles; nam prædicatum illud: *Esse productivum effectuum* (quod est causæ in actu primo intrinsecum & essentiali) nec esse, nec concipi potest sine effectu isto possibili, nequè etiam implicante effectu manet adhuc ex parte causæ vis ejusdem productiva, cum causa, etiam quantum est ex parte sua, non contineat in virtute sua impossibile seu chymæram: dicere autem implicante effectu, causa manet adhuc potens illum producere, si ille non implicaret, idem omnino est, ac dicere, implicante vi productivâ causæ, illa adhuc maneret, si illa non implicaret. Ut itaque absolutè censeatur permanere vis causæ productiva, debet non tantum in sensu diviso, sed etiam in sensu composito, nimirum manente implicantiâ effectus, manere; aliàs (quod omnino absurdum est & ridiculum) & Deus jam erit

erit causa chymaræ, quia potens est illam
 producere sub hac conditione, si non im-
 plicaret. Nequè implicantibus v. g. omni-
 bus creaturis vera est hæc propositio: *Deus*
potest producere, quidquid non implicat: cum
 sit de subjecto non supponente; sicut & hæc
 ideo falsæ sunt: *Petrus occidit omnes homines*
in foro, (supposito nullos fuisse in foro ho-
 mines) *Deus potest producere quamcunque*
chymaræ, quæ non implicat: Nequè impli-
 cante vel unicâ muscâ, manet conceptus om-
 nipotentia illius, quæ jam est, cujus con-
 ceptus non est, posse producere; quidquid in
 isto casu non implicat; sed posse producere,
 quidquid jam non implicat; etsi maneat, vel
 potiùs detur tum conceptus alicujus omni-
 potentia, quæ fingitur tunc esse. Verum
 quidem est, ex eo, quòd chymæra, quæ sem-
 per fuit chymæra, sit chymæra, non desine-
 re hanc omnipotentiam, desinet tamen ex
 eo, quòd chymæra, quæ nunquam fuit chy-
 mæra, fieret chymæra, quale quid fieret, si
 musca, quæ nunquam implicavit, inciperet
 implicare. Similiter desinet hæc omni-
 potentia eo ipso, quò intelligitur productiva
 chymæra redditæ possibilis, quæ ante im-
 plica-

plicabat, adeoque augeri vis ejus productiva; implicat enim omnipotentiam hanc, utpote infinitam, fieri potentiolem, adeoque ne quidem maneret hæc potentia productiva omnis illius, quidquid jam non implicat. Nihil autem indecentiæ importat hæc connexio, seu implicare Deum sub conditione impossibili, sicut nihil importat Deo indecens, alia ejus attributa sub simili conditione impossibili implicare; v. g. ejus sanctitatem, si mentiretur, ejus Justitiam, si malos præmio afficeret; imò absurdi nihil in eo est, quod ita connectatur cum re impossibili v. g. alio Deo, ut eo facto possibili, implicaret. Similiter nihil dependentiæ à creaturis importat hæc connexio, utpote quæ quid latius patiens est, quàm dependentia (aliàs & Pater divinus connexus necessariò cum Filio, ab eodem dependeret) & fundata in summa Dei perfectione & fecunditate. Nihil item egentæ; dici enim non potest, creaturarum possibilitatem esse conditionem ad hoc, ut existat Deus, nisi hoc loquendi modo significare velis, Dei existentiam inter & creaturas tam necessariam esse connexionem, ut hæc esse non possit, nisi post le
tra-

trahat creaturas·possibiles veluti majestati
suæ famulitium. Nihil demum imperfectio-
nis; non enim omnipotentia excogitata ca-
rens hac connexionē, major est & perfectior
omnipentiā ita cum creaturis connexa,
sed longè inferior, adeoquē fictitia; dicere
autem, hinc sequi, possibilitatē Dei non esse
magis necessariam quàm possibilitatem crea-
turarum, apud intelligentes non est absur-
dum; in tantum tamen necessitas possibili-
tatis creaturarum inferior est, in quantum
creaturæ necessariò quidem possunt existe-
re, sed per alium, Deus autem à se, à quo ef-
fendi modo à se, vel per alium, abstrahit pos-
sibilitas entis intrinseca. Illud deniquē hic
observandum est; Deum seu causam cum
effectibus actu existentibus, sed non ut exi-
stentibus connecti necessariò; licet enim
possibilitas & existentia actualis rei non di-
stinguantur in ratione prædicatorum obje-
ctivorum, distinguuntur tamen valde ratio-
ne status; quæ connexio cum creaturis ut
possibilibus etsi non sit actualis & propriè
realis tanquam influentis in illas, est tamen
tanquam potentis in illas influere, adeoquē
potentiā exercentis aliquod munus circa
illas,

illas, quod sufficit ad hoc, ut terminus non sit purè terminus, qualis requiritur ad relationem transcendentalem.

XII. Non est autem respectus hic indeterminatus, id est, talis, quo ita respiciat effectus possibiles, ut quocunquè implicante effectu, causa adhuc maneat, & non implicet, nisi implicantibus simul omnibus; sed talis, ut eo ita respiciat effectus determinatè omnes, ut quocunquè reddito impossibili, implicet & illa; quia quocunquè implicante implicat prædicatum causæ intrinsecum, quod est, esse virtutem productivam hujus effectus. Hinc tamen non sequitur, eum, qui intuitivè cognosceret Deum, statim etiam in particulari cogniturum omnes creaturas possibiles, cum cognitio creata repræsentans omnia individua possibilia, uti & cognitio comprehensiva Dei, imò & creaturæ (si ad illam requiratur, ut determinatè & distinctè omnium prædicatorum relativorum terminos repræsentet, implicet) sed cognoscat tantum confusè hos terminos, & ipsum Deum, qui connexus est cum singulis in particulari creaturis possibilibus, non ut connexum cum singulis.

DIS-

DISSERTATIO NONA

De causa materiali, & formali.

I. **C**AUSA *materialis* in quantum compositiva est, seu in ordine ad compositum, est ea, ex qua tanquam *subjecto inexistente fit aliquid*: in quantum est sustentativa & receptiva formæ, est ea, ex qua fit aliquid, quod *media passione ipsi cause inest*: dicitur autem *mediâ passione*, & non *unionem*, ut definitio conveniat tam causæ materiali, in quantum est *subjectum sustentationis & simul informationis* (qualis naturaliter semper est) quàm causæ materiali, in quantum tantum est *subjectum sustentationis*, quod fieri posset, si Deus *eductâ formâ* impediret eius *unionem cum materia*. Utroque modo spectata est propriè dicta causa; dat enim verè esse composito per influxum *defectibilem*, dum communicando se *compartit*, scilicet formæ, per *unionem* communicat *entitatem suam composito*; Nequè enim requiritur ad *causandum compositum* per modum causæ *intrinsecæ*, causare omnes
eius

ejus partes, materiam formam unionem distributivè, aut aliquam illarum, sed causare illas collectivè sumptas, seu ingredi tanquam constitutum hanc collectionè, quã dicunt materia forma & unio collectivè sumpta; cujus ratio est, quòd partes causent totum componendo, componere autem non sit dare partibus esse, sed partem dare se comparti per unionem; Nequè requiritur, ut causæ intrinsicæ communicent composito esse distinctum à suo esse, aut ut causent illud esse, quod communicant, sed sufficit, partes se ipsas dare composito. Similiter dat formæ, quæ ex ea educitur, esse per influxum defectibilem; si enim formam educi è materia, tantùm sit, eam fieri dependenter à materia tanquam conditione, sine qua non, jam formæ materiales etiam ab agente naturali creabuntur; anima rationalis enim ideo creatur, quia materia non influit in eam, sed purè se tantùm habet per modum conditionis, sine qua non crearetur anima. Etsi autem materia, in quantum præcisè sustentat tantùm formam, non sit propriè causa intrinseca compositiva, reduci nihilominùs potest ad causas intrinsecas, quia sustentans

f

for-

formam, naturaliter etiam ab ea informatur, & consequenter cum ea componit compositum, & sustentans formam proximè exigit semper ab ea informari, adeoque in quantum sustentativa, subordinatur quasi sibi ipsi in quantum compositivæ.

II. Causalitas causæ materialis compositivæ est unio; per hanc enim formaliter se communicat comparti, adeoque per illam redditur formaliter componēs seu influens & causans compositum. Nec obstat primò, quòd unio non sit inter causam & effectum; id enim ad causalitatem causarum intrinsecarum non requiritur. Nec secundò, quòd hæc causalitas producat per aliam causalitatem, nempe per educationem; nil enim vetat, unã causalitatem per aliam diversi generis (qualis respectu unionis est ejusdem educatio, compositis merè extrinseca) produci. Unde unio seipsa est in materia unitivè, id est, unitur materiæ seipsa absque superaddita sibi causalitate, non verò seipsa est in materia causaliter & sustentativè, id est, non causatur & sustentatur à materia absque alia causalitate, sed per hanc causalitatem à se distinctam sive per educationem veluti terminus productus,

quantitatem extensi, in quo partes eorum
 subjectantur, & ex quo extenso secundum
 diversas sui partes educuntur: unde & vi-
 des, formam materialem non ideo tantum
 esse quantam, quia est in subjecto extenso
 (aliàs & anima rationalis diceretur quanta)
 sed quia insuper habet partes entitativas. Ad
 hæc, cum quantitas sit dispositio ad formam
 materialem substantialem, adeoque suo mo-
 do naturâ prior illâ, non potest in forma
 recipi, & vicissim ab ea causari materiali-
 ter. In eo autem, quòd materia in exte-
 cutione priùs uniatur quantitati, quæ est
 forma accidentalis, quàm formæ substan-
 tiali, & quòd ei tanquam proprietati suæ,
 quam determinatè exigit, uniatur arctius,
 quàm formæ substantiali, nihil est absur-
 di.

IV. Similiter reliqua accidentia corporea
 absoluta subjectantur in sola materia; si e-
 nim subjectarentur in toto composito, &
 hoc pereunte deficerent, jam dispositiones
 præviè ad formam sequentè inductæ erunt
 frustra; cum non disponant pro instanti ge-
 nerationis, pro quo deberent disponere ad
 formam novam, illo enim cum veteri forma
 per-

pereunte pereunt. Nequē etiam dici potest, materiam in instante generationis disponi ad hanc specie & numero formam per dispositiones, quæ in instante præcesserunt, eò quòd virtute illarum expulsa sit forma prior, quæ quia expulsa est per tales dispositiones, non potest subsequi, nisi talis numero vel specie forma: nam forma prior vi dispositionum expelli non potuit; aliàs enim hæ dispositiones, si exigent corruptionem sui subjecti, quod tanquam principium supponitur ad earum existentiam, exigent virtualiter suam destructionem; insuper deberet forma expellens existere in instante, quo fit expulsio, utpote ejus causa, sed dispositiones tunc non existunt, cum tunc unà cum veteri forma corrumpantur. Præterea plurima manent accidentia in genito, quæ fuerant in corrupto v. g. in equo mortuo eadem quantitas, color, gravitas &c. (quis enim tam subito, veteribus accidentibus unà cum subjecto suo inadæquato formâ pereunte pereuntibus substitueret nova prioribus omnino similia? non Deus, quia hic non supplet defectum causarum secundarum, nisi ad exigentiam alicujus v.g. dispositio-

tionum jam introductarum) sed hæc accidentia non possunt manere eadem, subiecto eorum inadæquato pereunte. Ad quod si dicatur, illa mox incipere subiectari in forma nova accedente, sine necessitate jam multiplicantur uniones horum accidentium, pereunt hæc siquidem, dum perit subiectum inadæquatum horum accidentium, cum quo uniebantur, & novæ producuntur ad uniendum eadem formæ sequenti. Cum ergo inquit Arist. *generatio est mutatio totius in totum, nullo subiecto sensibili remanente eodem*: Vult, perire sensibile in concreto, sive subiectum, quod mediis accidentibus denominatur sentiri, non verò ipsa accidentia; & licet maneat materia tanquam subiectum informationis istorum accidentium, hæc tamen non est subiectum denominationis; malè enim dicitur, medio colore videri ipsa materia prima, sed dicitur videri homo seu totum compositum, quod perit pereunte forma.

V. Probabilius est, accidentia subiectari immediatè in quantitate; videmus enim varias in speciebus Eucharisticis fieri alterationes.

tionēs, produci calorem humiditatem & c. sed hoc non possent agentia naturalia, nisi in & è subjecto, quale aliud hęc non potest assignari quā quantitas; dicere ista accidentia creari, & à Deo produci has alterationes ad præsentiam agentis naturalis, videtur esse contra commune iudicium hominum, qui non dubitant, id fieri ab agentibus naturalibus. Ad hæc non repugnat unum accidens in altero subjectari, cum omnis quantitas & qualitas sit subjectum suæ ubicationis: & accidens tantum accidenti non accidat ut subjecto ultimo; & sufficiat dispositiones recipi ultimè & mediatè in eo subjecto, in quo forma substantialis recipitur immediatè.

VI. CAUSA FORMALIS est, quæ per modum actus vel determinativi intrinseci sive ultimò constituit compositum; materia enim veluti inchoat compositum, forma perficit illud ultimò, & determinat materiam ad esse potius hominis, quàm bruti. Unde effectus primarius hujus causæ est compositum. Secundarius & negativus, expulsio veteris formæ, quam tamen non causat, physicè in illam influendo (ad negationem enim, qualis est desitio formæ veteris, non datur actio)

f 4 nequè

nequē immediatē subtrahendo isti formam suam concursum: sed sollicitando quasi causam primam, vel etiam determinando causam materialem & efficientem secundam, ut ad informationem suam subtrahat illi concursum suum, cui illius exigentiæ naturaliter debetur subtractio istius concursus. Causa autem efficiens novæ formæ causat hanc expulsionem efficienter mediatē, quatenus causat formam novam, quæ immediatē in genere causæ formalis causat illam. Quibus non obstat, quòd introductio novæ formæ sit quasi finis expulsionis veteris formæ; nam finis tantum propriè talis est in executione posterior, quàm media finem efficientia seu propriè dicta: non autem est posterior aliis mediis impropriè talibus, ab ipso fine ortis, & illum consequentibus, quale quid est expulsio formæ veteris.

VII. Causalitas formæ respectu effectus primarii est unio, etsi hæc non causetur à forma; causalitas enim tantum causæ efficientis causatur ab eo, cuius est causalitas; hinc si unio crearetur, foret adhuc vera causalitas & influxus materiæ & formæ in compositum. Formæ tamen modales, quæ se ipsis unium-
tur

ur subjectis, non egent causalitate distinctâ, sed seipsis sunt simul forma & quasi causalitas. Causalitas formæ respectu effectus secundarii est eadem unio, ut actu movens Deum, vel etiam determinans causas secundas ad subtrahendum concursum veteri formæ; per hanc enim unionem actu moventem Deum constituitur forma actu causans hanc expulsionem, & impossibile est, hanc unionem actu movere Deum, & formam veterem non expelli: sic etiam hæc subtractio concursus divini suo modo dependet à forma, quatenus Deus potens ob alios fines suum concursum subtrahere, subtrahit illum ad exigentiam formæ.

VIII. Formam tribuere suum effectum formalem alicui, est cum eo constituere aliquod compositum; quod autem non semper eadem inde resultet denominatio, si eadem forma aliis & aliis subjectis uniatur, inde est, quod effectus formalis sit compositum includens intrinsecè subjectum, pro cuius subjecti diversitate erunt & resultabunt composita & denominationes diversæ, pro ut subjectum tali formæ erit proportionatum vel improporionatum; sic visio unita oculo de-

nominat illum videntem, non verò unum lapidi, quia hic est subjectum tali formæ improporcionatum; in quibus tamen casibus forma adhuc talibus subjectis tribuit denominationem habentis v. g. dicitur lapis res habens visionem.

DISSERTATIO DECIMA

De causa Finali, & Exemplari.

I. **C**AUSA FINALIS non est dicenda causa realis, si per causam realem intelligas causam physicè existentem, & per influxum physicum producentem effectum sibi coëxistentem. Est causa realis, si per causam realem intelligas causam, quæ non fictè, sed verè & realiter, quamvis intellectui solùm objecta, & non existens moveat voluntatem ad se amandum: quæ motio licet sit motio metaphorica, non est tamen causalitas metaphorica: & licet hæc causalitas actu à fine dependeat, non tamen ideo magis necesse est, causam finalē coëxistere causalitati, quàm effectui. Definitur esse *id, cuius gratiâ aliquid fit*; sive propter cuius bonitatem

tem

tem in se & propter se amatam amatur, fit & suscipitur aliud, v. g. propter sanitatem in se & propter se amatam sumitur medicina. Finis alius est *finis qui*, & est bonum illud, quod amatur: alius *finis cui*, & est ille, cui vultur seu appetitur illud bonum. Alius finis *ut adeptio*, & est boni illius possessio vel acquisitio; integrant autem hæc tria veluti partes unum finem adæquatum, & nullus eorum seorsim est aptus movere. Item alius est finis proximus seu immediatus, alius ultimus; hic subdividitur in simpliciter ultimum, qui rationabiliter ulterius referri nequit, ut Deus; & in ultimum secundum quid, seu negativè ultimum, qui etsi de facto ab agente ulterius non referatur, de se tamen ulterius ad alium finem est ordinabilis.

II. Cognitio repræsentans bonitatem finis quæ talis non est inadæquata vis causativa finis, sed tantum conditio applicans voluntati vim causativam finis: quia cognitio non est id, quod repræsentatum movet ad amorem sui, nec ea intenditur ut acquirenda. Est itaque hoc concretum: *bonitas repræsentata: inadæquatè tantum secundum rectum vis*

causativa finis; & dum dicitur bonitas ut repræsentata movet, non reduplicatur vis causativa, sed conditio, uti fit, dum dicitur: ignis ut approximatus calefacit. Nequè obstat, primò, quòd cognitio sit existentia intentionalis finis; quia sola existentia physica (quæ repræsentatur ut obtinibilis) identificata entitati causæ est vis ejus causativa. Neque secundò, quòd solâ cognitione mutata nunc actus voluntatis producat remissior, nunc intensior, nunc liber, nunc necessarius; nam & mutata approximatione ignis, alius & alius est ejus effectus: insuper, cum voluntas non feratur in objectum, nisi ut cognitum, illudquè possit clarè vel minùs clarè cognosci, mirum non est, ex inde mutari volitionem, quamvis non formaliter intrinsecè, uti fit à diverso tendendi modo.

III. Sola itaque bonitas est ratio formalis seu vis causativa finis; illa enim sola attrahit voluntatem; malum autem est veluti terminus, à quo dum voluntas recedit per odium, formaliter simul accedit ad bonum, cum non dentur actus puræ fugæ; sive non fugiatur malum nisi propter bonum, ita ut tales actus fugæ pro objecto materiali & termino à
quo

quo habeant malum, pro formali & termino ad quem; bonum: qua ratione fugimus dolores propter bonitatem, quæ est in eorum carentia, quæ bonitas non semper est absoluta & transcendentalis seu proprietas entis, sed quandoq; respectiva tantum, qualis etiam inest negationibus. Et quidem solum bonum per se, id est, honestum & jucundum potens est finalizare, utpote quod solum amatur propter se, utile autem quia tale semper appetitur propter aliud, adeoq; finis proximus ut de facto ordinatur ulterius, non finalizat. Bonum tamen tantum apparens potens est finalizare, uti fit, dum quandoq; impossibilia ut possibilia, & quæ honesta non sunt, repræsentata ut honesta movent ad amorem sui: & sic oriri potest finaliter causalitas finis à principio, quod à parte rei non est reale, repræsentatur tamen ut reale, finis enim non causat secundum realem, sed intentionalem existentiam. Observandum autem hinc primò, bonitatem ut apparentem, sive reflexè cognitam ut tantum apparentem non posse finalizare. Secundò bonitatem motivam & primariam finis semper esse realem & possibilem, quamvis objectum secundarium &

materiale, quod est subjectum, cui ista bonitas inesse creditur, possit esse non reale.

IV. Causalitas finis respectu actuum à voluntate elicitorum est physica istorum actuum productio, quæ, quatenus recipitur in voluntate, est causalitas causæ materialis, quatenus efficitur ab eadem voluntate, est causalitas causæ efficientis, quatenus verò sit gratiâ finis, est finalizatio seu causalitas finis: & licet finis fortè in actu primo sit primus inter causas, in actu tamen secundo simul cum reliquis causis causat, adeoque omnium eadem potest esse causalitas. Causalitas finis respectu actuum à voluntate imperatorum, & ab aliis potentiis elicitorum est productio horum actuum, quatenus procedit à tali aut tali volitione imperante; hac enim productione à tali voluntate imperatâ positâ, ne quidè divinitus, potest impediri, quò minùs dicatur finis actu causare, sola autem productio actuum externorum poni potest V. G. à non cogitante, quin finis intelligatur finalizare.

V. Si tò *cujus gratiâ* idem est, quod, *cujus amore & desiderio* fiunt cætera, sola imperatio à voluntate facta intellectui inquirendi
media,

media, electio, prosecutio, & executio medi-
diorum sunt propriè effectus finis; non verò
ipse amor & desiderium finis, neq; gaudium
in & de obtento fine; hæc enim non fiunt ex
amore finis. Si tò *cujus gratiâ* idem est
quod, ob cuius bonitatem fiunt cætera, jam
etiam amor finis & gaudium de obtento fine
sunt propriè effectus finis; hæc enim fiunt
seu oriuntur ob bonitatem finis. Nec ob-
stat axioma: obtento fine cessat actio: cessat
enim actio externa, vel etiam interna tendens
in consecutionem finis, non tamen interna
manans ex obtento fine. Neq; etiam obstat,
quòd istæ actiones in ordine ad actiones ex-
ternas ingrediantur causalitatem finis, quia
in quantum ipsæ immediatè à voluntate sunt
elicitæ, non ingrediuntur dictam causalita-
tem finis, sed habent rationem effectus finis.
Quod attinet ipsam finis affecutionem seu fi-
nem ut obtentum, probabilius videtur, illum
non esse effectum sui ipsius ut præconcepti;
finis enim est, cuius gratiâ fiunt cætera à finæ
diversa; unde, dum dicitur: *finis est obtentus*
ex amore finis: intelligendum hoc non est po-
sitivè, sed negativè, id est, quòd non sit ob-
tentus ex amore alterius.

VI. Sola agentia creata intellectualia, id est, homines ratione utentes & Angeli, Deus item operando ad extra, propriè agunt propter finem; hi enim discernunt inter media & finem, cognoscendo proportionem mediorum ad finem & contra. Deus tamen operando ad intra V. G. producendo Filium, amando seipsum, non agit propter finem; hi enim actus, utpote ens à se ipseque Deus, non sunt effectus; dum ergo Deus dicitur amare se propter se, intelligitur id negativè, nempe quòd non amet se propter aliud. Similiter etsi non detur causalitas finis respectu volitionis divinæ, datur tamen respectu effectuum ab hac volitione Dei productorum. Porro nequè inanimata agunt propter finem ab ipsis præcognitum & intentum, sed potiùs aguntur in finem à Deo intentum & præcognitum. Nequè bruta aut infantes & amentes, etsi instinctu quodam naturæ appetant & applicent quandoquè media reverà utilia & proportionata ad rem, quampiam obtinendam, imò licet id faciant ex confusa aliqua apprehensione vel imaginatione (cujus species non hauriunt per sensus, aut sibi efformant, sed ab auctore naturæ ad propagationem

nem

nem generis & vitæ infusas accipiunt) utilitatis, non agunt tamen formaliter, sed tantum materialiter propter finem ; quia non referunt ea in ordine ad talem finem, nec cognoscunt illa tanquam media proportionata ad talem finem.

VII. CAUSA EXEMPLARIS est forma in mente, quæ effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem : id est, est cognitio intrinseca intellectui operantis representans eidem opus faciendum & modum operis faciendi, sive proximè dirigens operantem, ut producat effectum talem, qualem hæc cognitio representavit & sibi producendum proposuit artifex ; si enim casu & merè naturaliter absq; intentione procedat effectus, non censetur habere causam idealem ; unde etiam agentia merè naturaliter dicuntur operari secundum formam, quam habent in seipsis purè naturaliter & physicè ; agentia verò artificialia quæ talia operari juxta formam, quam habet in se intelligibiliter, seu in mente. In quantum hæc causa reddit artificem potentem operari, integratq; cum aliis concausis causam efficientem, ad eandem reduci potest ; reduci potest ad causam formalem.

lem, & dici causa formalis extrinseca, quatenus est forma, ad cuius imitationem res constituitur in suo esse specifico.

VIII. Ratio causæ idealis consistit in cognitione & ejus objecto, ita ut ex cognitione veluti idea formali seu exemplari *ut quo*, & conceptu objectivo intrinseco veluti exemplari interno *ut quod* conflatur una adæquata ratio causæ exemplaris: objectum enim est illud, quod inspectum seu cognitum ut quod, dirigit ut quod artificem, & cui intendit conformare opus, dicitur idea materialiter; sicq; idem existens intentionaliter est causa simpliciter existens realiter: è contra cognitio est id, per quod objectum constituitur formaliter in ratione ideæ imitabilis ab agente, & quo mediante objectum dirigit artificem, quam cognitionem opus non est, cognosci ut quod sive reflexè. Pertinet autem ista cognitio potius ad rationem causæ exemplaris, quam pertineat ad rationem causæ finalis; quia in hac sola bonitas repræsentata allicit voluntatem ad se, non verò cognitio; hæc autem non tantum conceptus objectivus dirigit, sed etiam & vel maximè conceptus formalis.

IX. Cau-

IX. Causalitas hujus causæ est actio externa, quatenus directa per ideam internam, & quatenus facta ex intentione opus exsequendi.

DISSERTATIO XI.

De Causa Efficiente.

I. **C**AUSA EFFICIENS EST ; unde est principium mutationis , sive à quo primò est mutatio , id est , actio & terminus per actionem productus. Dicitur à quo est mutatio , ut indicetur proprius causandi modus hujus causæ ; effectus enim est ex materia , per formam , propter finem , à causa efficiente. Dicitur à quo primò est &c. ut distingua- tur insuper à reliquis causis ; etsi enim finis sit in intentione prior , in executione tamen prior est efficiens , & licet materia sit subje- ctum primum , non est tamen id , à quo ab- solutè primò est mutatio , quia illud non po- test esse hac ratione primum , à quo non su- mitur determinatio ; prior item est priorita- te universalitatis , cum vera sit hæc causalis : ideo patitur materia , quia efficiens agit.

II. Cau-

II. Causa illa efficiens dicitur principalis, quæ est æqualis aut majoris perfectionis cum effectu, & dicit ad illum proportionem. Illa est instrumentalis, quæ est minoris cum effectu perfectionis, vel si est æqualis, non habet proportionem, id est, vim connaturalem, ad illum producendum, & hinc subordinatur alteri, nimirum causæ principali, à qua confortatur & elevatur per concursum altioris ordinis, & cujus intuitu illi præbetur concursus causæ primæ, si subordinetur causæ principali creatæ; qualiter phantasma utpote materiale, adeoq; ignobilius & improporcionatum ad producendas species impressas intelligibiles spirituales, ad hoc eget concursu altioris ordinis, nempe comprincipii spiritualis (quale est intellectus) à quo elevetur; qualiter non elevatur equus se solo insufficientis trahere currum, dum illi adjungitur equus alius, cum hic concursus non sit altioris ordinis, & qualiter vice versâ non elevatur causa principalis ab instrumentali, etsi & hac egeat; non enim eget ejus concursu ad producendum effectum se perfectiorem aut improporcionatum sibi, neq; ita eget, ut detur ei intuitu causæ instrumentalis cōcursus Dei.

Hinc

Hinc patet causam malè ideo dici instrumentalem, quia non attingit sua actione effectum, sed producit quid prævium, ad cuius productionem resultat productio effectus. Item quia illi nullum correspondet prædicatum in effectu (foret enim Angelus elevatus à Deo ad creandum alium Angelum omninò sibi similem, adhuc causa instrumentalis, etsi ei omnia prædicata in effectu respondeant.) Item quia movetur priùs à causa principalis; quomodo enim phantasma movetur priùs ab intellectu ?

III. Instrumentum aliud est naturale, quod à natura subordinatur alteri causæ, ut cum ea producat effectum se perfectiorem tale V. G. est phantasma. Aliud artificiale, quod ab extrinseco, nempe ab artifice, ordinatur & assumitur ad effectum, ad quem ex se est improportionatum (quamvis hæc in rigore non sint instrumenta, cum ex se activa non sint, sed tantùm recipiendo in se impetum, unum cum alio conjungant, aut unum ab altero dividant; adeoque hæc divisio sit analogi in sua analogata.) Aliud obedientiale, quod assumitur à Deo ad effectum aliquem supernaturalem quò ad entitatem, vel quò

quò ad modum producendum. Iterum instrumentum aliud est conjunctum causæ principali secundùm esse, si nimirum ei physicè uniatur, tale instrumentum ignis est calor in quorundam sententia ; vel conjunctum per contactum, ut calamus scribæ: aliud separatum quò ad esse & quò ad contactum, ut telum excussum in hostem. Separatum item dicitur quò ad causalitatem, si absquè causa principali simul influente influat in effectum; verùm meliùs negatur, dari instrumenta separata quò ad causalitatem à principali causa; instrumentum enim propriè tale causare non potest, nisi causa principalis concursu simultaneo cum eo influat in effectum: hinc malè dicitur semen esse causam instrumentalem istius viventis, à quo decisum est, & absquè eo influere in effectum.

IV. Non elevatur instrumentum à causa principali per hoc, quòd habeat præviã aliquam operationem in effectum ante operationem causæ principalis; quid enim operatur phantasma præviè circa speciem intelligibilem producendum, antequàm cum eo concurrat intellectus? Neq; semper elevatur per receptam in se præviè à causa principali qua-

qualitatem, (qualiter tamen frequēter elevatur V.G. intellectus per habitum infusum ad actum supernaturalem fidei) sed est quandoquē tantum instrumentum assumi ad societatem & cōcursum simultaneum causæ principalis, & cum ea influere in effectum se perfectiorem, vel ad quem nō habet de se proportionem, ut patet in phāsmate & in volūtate peccatoris absquē habitu infuso immediatē cum concurrente secūm Deo eliciente charitatem. Et quod specialiter concernit instrumentum obedientiale, non dicitur illud obedientiale respectu qualitatis sibi superadditæ aut concursus simultanei, sed respectu causæ principalis infudentis hanc qualitatem, aut offerentis illi per decretum hunc concursum indebitum. Elevatur illud ad producendos effectus supernaturales quō ad entitatem per additum illi comprincipium indebitum, id est, naturaliter non obtinibile aut exigibile, sive hoc sit creatum, & instrumēto huic intrinsecē inhærens, quale est lumen gloriæ respectu visionis beatificæ; sive sit specialis modus, quo applicatur illi omnipotentia ad concurrendum concursu speciali per modum specialis comprincipii.

Ad

Ad producendos verò effectus supernaturales tantùm quò ad modum V. G. ad producendum calorem in subjecto distante, elevatur per decretum, quo Deus hìc & nunc suppositâ illâ distantia, vult præstare suum concursum ordinarium, qui tamen hìc & nunc est indebitus. Observandum autem hìc est in genere: primò elevationem ab ipsa causa instrumentali distingui adæquatè. Secundò causam instrumentalem per hanc elevationem non fieri intrinsecè potentiorè, quia manet intrinsecè æquè impotens, quam erat ante, operari se solâ. Tertiò omne instrumentum propriè tale essentialiter esse principium inadæquatum. Quartò instrumentum obedientiale etiam habens sibi conjunctum comprincipium indebitum non esse adæquatè elevatum, quamdiu non habet omnia naturaliter sibi non conjungibilia aut exigibilia, qualiter habito habitu fidei, jam debetur intellectui concursus Dei ad actum fidei.

V. Ratio potentiaè obedientialis remotæ identificatur entitati potentiaè naturalis, quatenus hæc capax est, elevari per comprincipium indebitum ad effectum supernaturalem producendum. Ratio potentiaè obedientialis
proxi-

proximæ item adæquatè consistit in ipsa potentia naturalis entitate, quatenus hæc respicit comprincipium indebitum actu sibi conjunctum, si illud est qualitas præviâ, vel decretum Dei actu sibi applicitum de præstando concursu indebito; cùm enim potentia obedientialis sit id, quod elevatur per comprincipium indebitum, non constituitur partialiter per hoc comprincipium: potentia item obedientialis ut condistincta ab hoc comprincipio (non tamen ut separata ab eo) attingat effectum, hoc comprincipium non est pars intrinseca hujus totius, quod dicitur potentia obedientialis (etsi sit pars hujus aggregati, quod dicitur potentia obedientialis actu elevata; quod adhuc aliud est, quàm potentia obedientialis in actu secundo; potest enim esse actu elevata, absq; eò quòd actu influat in effectum) sed ab ea tantùm connotatur. Unde licet dicere: potentia obedientialis & tale comprincipium est unum adæquatum principium talis effectus: non licet dicere; potentia obedientialis habens sibi conjunctum tale comprincipium, est principium adæquatum. Erit itaq; potentia obedientialis potentia

merè naturalis, sed transcendentaliter respiciens effectum supernaturalem à se (nō quidem solâ, sed adjutâ à cōprincipio indebito) producibilem, & simul illud cōprincipium sibi conjungibile.

VI. Potentia obediencialis passiva est quoque ipsa potentia passivæ naturalis entitas, quatenus respicit potentiam obediencialem activam, seu agens elevatum cōprincipio indebito, potens educere ex se formam, quam nullum agens naturale sibi relictum poterat educere; eo ipso enim, quod elevetur agens seu potentia activa V. G. intellectus ad activè eliciendam fidem, potentia passiva non eget alia elevatione: & hoc modo respiciens effectum supernaturalem ex se educibilem ab agente elevato, dicitur illum continere in potentia obedienciali passiva. Unde infertur, potentiam obediencialem passivam esse principium passivum adæquatum talis effectus: quamvis non negemus, posse quoque dari potentiam obediencialem passivam, quæ sit principium inadæquatum effectus, si nimirum elevaretur per adjunctum illi cōprincipium passivum.

VII. Quam-

VII. Quamvis dari possit creatura obedientialiter elevabilis ad producendum quilibet, quod specialiter non implicat (qualiter implicat, elevari illam à Deo ad peccandum; foret enim is in hoc casu auctor & causa peccati, utpote ad quod cum intentione, & quidē per concursum indebitum concurrat) admitenda tamen non est potentia obedientialis tam lata in re quavis, quæ de facto datur: ut enim creatura aliqua elevari possit, debet ex se habere virtutem quandam innatam & inchoatam ad illum effectum, ad quem elevatur, producendum, saltem tanquam principium ejus inadæquatum, sive debet respectu illius esse activa: jam verò nullum est fundamentum, ex quo colligatur talis virtus rebus omnibus inesse (quale est, & quidem unicuique adscribendi isthanc virtutem intellectui & voluntati respectu actuum supernaturalium, nimirum illud, quòd hi actus ratione vitalitatis exigant procedere immanenter à principio vitali;) absq; fundamento autem positivo nō licet rerum virtutes multiplicare aut ampliare. Neq; valet hīc modus argumentandi: non implicat, res quasvis habere hanc virtutem ad quidvis, ergo habent, sed

tantum sequitur: ergo habere possunt. Neque etiam ad hanc virtutem rebus tribuendam sufficit, quod aliquod earum predicatum correspondeat formalitati repertæ in effectu, nempe predicatum entis; non enim ideo tribuitur intellectui & voluntati virtus inchoata producendi actus illos supernaturales, quia possunt per se concurrere ad formalitatem aliquam omninò generalem repertam in suis actibus; sed quia possunt concurrere ad formalitatem aliquam specificam, & quidem talem, ut ratione illius hi actus exigant necessariò, pendere à talibus potentiis, & non possint ne quidem à Deo aliter produci, quàm dependenter ab his potentiis. Negata autem hac ratione rebus potentia obedientialis ad producendum quidvis, non derogat omnipotentia aut perfectissimo Dei in creaturas dominio, cum huic non repugnet, non posse uti instrumentis omninò ineptis (qualia instrumenta sunt res carentes dictâ virtute inchoatâ) ad quæcunq; perfectissima opera; imò tale dominium erit chimericum.

VIII. Ad dignoscendum, num aliqua causa efficiens respectu effectus alicujus sit adæqua-

adæquata, sive se solâ sufficiens, hæc sunt notanda: primò nullum principium potest esse adæquatum effectus, in quo relucet prædicatum ex his quatuor. *Vitalis, spiritalis, supernaturalis, substantialis*: nisi & illud in causa reluceat formaliter, sic nihil materiale potest esse principium adæquatum effectus spiritalis &c. an autem sint insuper alia prædicata, exigentia similem formalem correspondentiam in causa, non constat, cum res materialis V. G. possit procedere à solo principio spiritali, nempe Deo. Secundò nullum principium est adæquatum effectus se perfectioris. Tertiò principium in perfectione æquans effectum, continens etiam formaliter ea prædicata ex dictis quatuor, quæ effectus ex iis continet, tum habendum est pro adæquato principio, si fundamentum nullum appareat assignandi aliud adhuc necessariò requisitum principium ad talem effectum; sola enim perfectionis æqualitas & formalitatum correspondentia non sufficit ad rationem principii adæquati, ut patet in intellectu respectu speciei impressæ intellectualis.

IX. Unde accidens esse non potest immediatum & adæquatum principium substantiæ; cum enim omnis perfectio effectui proveniat à causa, accidēs, quod neq; formaliter, neq; virtualiter, neq; eminenter continet perfectionē substantiæ, hanc non potest substantiæ comunicare. Cui non satisfacis dicendo: non requiri, ut causa instrumentalis agens in virtute alterius, in perfectione æquet effectum; nam accidens agere in virtute substantiæ; vel est, accidens cum substantia immediate operante operari, & sic accidens non est principium adæquatum; vel est, accidens agere solum secundum propriam virtutem, & tantum nomine substantiæ: ex eo autem, quod quis agat nomine & loco nobilioris, non agit perfectius, si ab eo virtutem nullam accipiat, quam si accidens à substantia accipit, jam substantia est immediate operativa, utpote hujus virtutis productiva; dein hæc virtus vel est accidens, & relinquit accidens æquè ad producendam substantiam improprietatum; vel est substantia, & jam solum accidens non est adæquatum principium substantiæ; ad hæc cum causa instrumentalis nequeat agere, nisi simul secum

cum

cùm influente causa principali, adeoque sit essentialiter principium inadæquatum, tale erit accidens, si sit instrumentum substantiæ, ut volunt Adversarii. Cui iterum non satisfacis dicendo: instrumenta imperfecta quæquæ ex se activa non sunt (qualia sunt instrumenta artificialia) non posse se ex se movere, sive non posse agere, nisi actu moveantur à causa principali unà cum illis influente in effectum, posse tamen id instrumenta perfecta ex se activa, sic virtutem seminalem seminis producere effectum juxta naturam viventium, quorum est semen; absq; eo, quòd talia viventia actu concurrant (utpote quæ frequenter tum perierunt) cum hac virtute seminali ad producendum sibi simile. Nam propter hanc ipsam rationem negamus, femina esse verè instrumenta istorum viventium, dicimusquæ illa, si mortua sunt, improporcionata esse ad producendam animam viventis; similiter dum insecta nascuntur ex putrida materia, ova calore furni excluduntur, metalla in imis terræ visceribus gignuntur, has animas aut substantias non produci à solis accidentibus agentibus in virtute substantiarum absentium; in cujus enim

quælo, substantiæ virtute illa accidentium collectio in putri generat vermes? Dices in virtute vermis in comuni; sed hæc accidentia à tali verme nunquam fuere producta, quomodò igitur agunt in virtute illius? insuper talis vermis in communi non datur à parte rei, sed tantùm per intellectum, dicitq; promateriali omnes vermes, etiam hos natos ex putri. Meliùs igitur facimus, non ex mera ignorantia (quod indecorum est Philosopho) sed nixi ratione philosophica recurrendo ad Deum (cujus tanquã generalis naturæ Provisoris est, in defectu causæ secũdæ proportionatæ ad educendam formam ex materia jam plenè disposita, vices illius subire, formamq; illam se solo educere) quàm tribuendo agentibus naturalibus vires, quas non habent. Quamvis etiam dici possit cum Galeno, in generatione animalium ex semine, matrem non tantùm producere actiones formativas & dispositivas materiæ antecedentes generationem (quæ frequentissimè apud Arist. nomine generationis veniunt) sed & activè concurrere ad unionem & animam (si ea est bruti) producendam; Patrem ex eo tamen adhuc dici causam

causam proles, quia materiam suppeditavit formandam ulterius. Item formas metallorum gigni à sole virtutem suam ad imam terræ diffundente, vel ab ipsa terra & petris. Neque Aristot. inquit: *nihil aptum est agere, nisi quod habet contrarium*: (qualis contrarietas tantum est inter accidentia) negat substantiis activitatem; hæ enim sunt sibi adhuc contrariæ radicaliter, quatenus sunt principia accidentium formaliter sibi contrariorum; contrariantur item sibi mediata, mediis nimirum accidentibus; vel loquitur Arist. de actionibus præviis dispositivis ad generationem; hæ enim, saltem inadæquate, procedunt ab accidentibus.

X. Imò ne quidem accidens per modum principii inadæquati instrumentalis effectivè concurret ad productionem substantiæ. Quotiescunq; enim adsunt duæ causæ creatæ, quarum una sufficiens est se solâ producere effectum, (qualis est substantia respectu substantiæ) altera de se improportionata ad talem effectum (quale est accidens respectu substantiæ) hæc illi frustraneè adjungitur in ordine ad talem effectum, & quia non eget, hanc quoq; nō est in potestate talis causæ, ad

§ 5

effectum

effectum proportionatæ necessariæ, assumere alteram improportionatam ad simultaneum influxum, sicut Deus se solo potens effectum aliquem producere, etsi ad illum non egeat creaturâ, potest nihilominus liberè eâ assumere ad secum influendum: adeoque rejicitur accidens à simultaneo in substantiam influxu, non ob solam imperfectionem, sed ob hanc, & quia substantia non eget illo ad influendum effectivè in substantiam. Ad explicanda itaque ea omnia, quæ contingunt in productione substantiæ, sufficit dicere, quod accidentia simul cum substantia concurrant tantum dispositivè præparando materiam, producendo in ea accidentia sibi similia. Imò accidentia, quæ de facto dantur, si virtutem inchoatam ad hoc non habeant (quam habere illa, nullum est fundamentum) ne quidem divinitus tanquam comprincipia possunt concurrere ad productionem substantiæ: si illam virtutem habeant, divinitus possunt cōproducere substantiam; neque enim de essentia substantiæ est, nō posse produci partialiter ab accidente; neque de essentia substantiæ est, non posse cum accidente constituere unum principium adæquatum.

IV, Est

IV. Est quoq; substantia non tantum principium adæquatum productivum accidentium in seipso, dum emanat suas proprietates, sed quandoq; etiam in subjecto extraneo V. G. dum sol, qui formaliter calidus non est, producit calorem non per alium calorem. Frequentius tamen substantia simul cum accidente producit accidens aliud in subjecto extraneo, ut ignis unà cum suo calore calorem in ligno; dum enim duæ causæ, quarum quælibet habet virtutem producendi effectum, approximantur passo, utraq; attemperato concursu influit in effectum. Non impedit igitur calor ignem, quò minus ignis producat calorem in ligno, etsi detur calor esse agens magis proportionatum ad producendum alium calorem, quam est ignis, quæ tamen major proportio non colligitur ex majori similitudine, cum proportio inter effectum & causam non consistat in similitudine, ut patet in lapide simili alteri lapidi, quæ nequit producere. Erit autem accidens concurrens cum substantia ad producendum aliud accidens causa instrumentalis substantiæ, si accidens producendum sit perfectius accidente producente, aliàs non. Porro potest etiã accidens se solo sine concursu substantiæ

producere aliud accidens in subiecto extraneo, uti id contingit, dū aquæ calefactæ calor producit calorē in manu mea, ad quā calefactionem forma aquæ nō concurrat effective.

XII. Causa efficiens, cū non tantū producat effectum in spatio sibi contiguo, sed & in remoto, intra sphæram tamen lux activitatis (si enim sol produceret solū lucem in aëre sibi contiguo, hæc lux dein absq; solis concursu producit aliā lucem in aëre sibi contiguo, hæc rursus lucem sequentem in sequēte aëris parte, jã tanta erit lux in lateribus cōclavis, à quibus ad solē linea recta duci nequit, quàm in loco unde quaquē patulo, cū æquē his partibus lux approximetur; imō stylus in horologio solari nō jacet umbram, si lux horologio cōtigua illud sola illuminet) debet eidē spatio, cui per suam entitatem seu cōtigitate formali & imēdiatione suppositi præsens non est, approximari per contactū & imēdiationem virtutis, diffundendo à se & cōtinuando per medium actionem, vel etiam virtutes aliasve qualitates (quales quamplurimæ per medium diffunduntur, etsi nobis sint imperceptibiles, ut odor, ex quo canis inquit feras, qualitates morbida & venenata ab ægris,

gris aliisve venenatis bestiis exhalatæ, qualitas
 attractiva magnetica; expulsivæ rerum alia-
 rum, aliterquæ sympathicæ aut antipathicæ)
 & producendo unâ cum his qualitatibus ef-
 fectus similes in medio, etsi hi ob mediî ra-
 ritatem, & subtilitatem quandoquæ non no-
 tentur, vel si in eo similes effectus non pro-
 ducat, id evenit, ob mediî indispositionem.
 Nisi enim sic agat in passum distans, aliquid
 agendo diffundendoquæ per medium, jam
 interpositus v. g. paries inter ignem meam-
 quæ manum, inter objectum & oculum non
 impediret, quò minus illa calefieret, hic re-
 ciperet species; cùm interpositus hic paries
 non impediât actionem, minuendo vires a-
 gentis, nec resistendo formaliter illi illiusquæ
 effectui v. g. calori (nam formalis resistantia
 dicit informationem impediens in subje-
 cto impedito, qualiter paries impediens non
 informat manum & oculum impeditum à
 recipiendis speciebus & calore) sed tantùm
 quia actioni ejusquæ effectui impervius est,
 sive quia in eo actio ejusquæ effectus non re-
 cipitur & continuatur: si ergo opus non est,
 actionem aliumve effectum transfundi per
 medium, paries intermedius eum non im-

pediet; Item nisi agens agendo per medium activitatis suæ vires exhauriret, poterit agere in passum quantumcunquè distans, haberetquè illimitatam activitatis sphaeram, quæ i-
deo tantùm limitata agentibus creatis assignatur, quia vis eorum activa agendo per medium exhauritur. Quòd si tamen in medio, per quod agenti v. g. igni A agendum est, exstaret aliud agens simile v. g. ignis B. (qualiter se etiam habent ultimi palmi ejusdem ignis, suppono enim, non tantùm superficiem ignis passo contiguam agere, sed & reliquas latitudinis partes, cùm constet experientiâ, ignem latum tribus palmis plus calefacere, quàm latum uno digito) ignis A in igne B, vel etiam palmi posteriores in palmis ejusdem ignis intermediis nihil producent, quia inveniunt agens sibi simile. Continuabit tamen in hoc casu ignis A actionem suam formaliter per ignem B, et si in eo nihil producat, & unà cum igne B tanquam parziale principium calefaciet manum existentem post ignem B. vel continuabit actionem virtualiter, quæ virtualis continuatio in eo consistit, quòd quia ignis A inveniatur in igne intermedio eandem
qua-

qualitatem, quam intendebat producere, retineat virtutem ulterius continuandi actionem.

XIII. Nihilominus potest agens creatum divinitus agere in passum distans quantumcunque, etiam extra sphaeram activitatis, nihil agendo in medio aut transmittendo per illud, non quod agens producat hic v. g. in spatio A actionem, illamque dein sine transito medio, transferat ad spatium D, sed quod non producat illam, ubi ipsum entitative est, sed ubi ipsum entitative non est: in quo casu Deus non suppleret virtutem intrinsecam agentis, sed conditionem determinatam solummodo agens ad agendum, Deumque ad praebendum concursus, & physicè in effectum non influentem, praebereque concursus suum, quem agens in his circumstantiis exigere nequibat. Ad hoc itaque, ut agens existens hic v. g. in spatio A, operetur, opus non est, ut effectus quoque & passum existat hic in spatio A; vel etiam ad hoc, ut agens operetur in spatium B, opus non est, ut agens existat in spatio B, sed satis est, ut ab agente existente hic v. g. in spatio A, profluat
actio

actio non hic, sed in spatio B, ubi est passum, cum quo unitur actio, veluti cum suo subiecto inhaesionis, à quo separata educi nequit, etsi ex eo ab agente distante educi possit; sicquè adhuc in quocunquè loco causa agit effectum, ibi existit formaliter agens effectum, id est, existit actio, perquam formaliter denominatur agens effectum, etsi in eodem loco entitas causæ non existat. Nec obstat, quòd agens non possit agere in tempore, in quo non existit, quia quod non est in hoc tempore, absolutè non est, adeoque caret fundamento actionis, quod est existentia; quod verò in hoc loco non est, non absolutè non est, adeoque retinet fundamentum actionis. Nequè obstat, quòd potentia v. g. visiva non possit versari extra suam sphaeram seu objectum adæquatum, quod est lux & color; id enim accidit ex defectu virtutis intrinsecæ, & quia ad versandum extra suum objectum, ne quidem habet virtutem inchoatam.

XIV. Ut agens agat, necessarium non est, ut distinguatur à passio tanquam suppositum à supposito, vel tanquam pars à parte; dum enim anima vel Angelus producit suas intellectio-

lectio-

lectiones, dum eadem pars aquæ reducit se ad suum frigus &c. idem suppositum, imò eadem pars est principium efficiens & recipiens seu passum. Non potest tamen idem in seipsum agere actione univoca perfectiva; aliàs enim calor ut duo posset seipsum intendere, educendo ex eadem parte subjecti, in quo ipse subjectatur, & adjiciendo sibi duos gradus caloris; dum autem forma producit in sua materia formam vel dispositionem sibi contrariam, agit quidem in se ipsam actione destructiva, sed non actione univoca, utpote per quam non producitur effectus ejusdem rationis cum principio producente, sicut & idem agit in seipsum secundum diversas partes actione destructiva æquivoca, dum anima præter intentionem v. g. in diversis corporis partibus producit qualitates diversas, absquè justo temperamento, adeoquè destructivas viventis.

XV. Potest agens agere in passum sibi simile in specie, dissimile tamen gradualiter, v. g. calidum ut sex in calidum ut duo, intendendo ejus calorem (quæ actio num sit æquivoca, inde pendet, num gradus intentionis sint heterogenei, & num actio produ-

ctiva

Etiva gradus heterogenei ejusdem qualita-
 tis, dicenda sit æquivoca) Potest item a-
 gere in passum sibi gradualiter simile actio-
 ne æquivoca, uti fit, dum calidum ut sex
 in alio calido ut sex producit impulsus: non
 potest tamen naturaliter actione univoca
 agere in passum gradualiter sibi simile,
 licet quò ad extensionem dissimile (qua-
 liter dissimile est ferrum calidum ut sex oc-
 cupans ob densitatem suam palmos duos,
 aëri calido ut sex occupanti ob raritatem
 suam palmos quatuor) calidum enim ut
 duo agens in calidum ut duo, adjiciendo
 illi unum vel duos gradus caloris, seu red-
 dendo illud calidum ut tria vel quatuor,
 dissimilaret sibi passum, quod est contra
 naturam agentis actione univoca: possent-
 què se talia duo calida ut duo intendere
 usque ad octavum gradum. Licet igitur
 calidum ut duo de se potens sit produce-
 re & recipere unum vel duos gradus ca-
 loris, non potest tamen eos producere in,
 aut recipere à calido ut duo, etsi de cate-
 ro in calido ut duo minor sit resistentia ad
 recipiendum gradum unum caloris, quàm
 sit in calido ut unum, in quo calidum ut
 duo

duo potest producere gradum ulteriorem, quia hic invenit conditionem ad agendum requisitam, nimirum gradualem dissimilitudinem. Item etsi calidum densius ob vires unitas citius suum effectum producat, nunquam tamen effectum producet intensiorem, quàm calidum rarius ejusdem intensiōnis; adeoque hujus calorem nunquam intendet, & nunquam aget tantum, quantum duo calida, quorum singula ejusdem cum illo denso calido sunt intensiōnis, penetrata; dum enim partes caloris in illis penetrantur, habent se ut unum agens calore duplicato. Neque lux per reflexionem facta intensior arguit actionem agentis in passum simile; præterquam enim quòd lux excepta à speculo, utpote subjecto magis disposito, sit intensior luce producta in aëre ante speculum, ii, qui docent, lucem tam directè, quàm reflexè productā, produci à solo sole, censent hanc fieri intensiōnem à sole solo, non potente lucem ulteriùs protendere quia ad corpus opacum & lævigatū appellit, ad quod reflexa actio retrocedens per eandem aëris partē, per quam accessit, præter lumen in ea directè productum, lucem producit ampliorem; qui
verò

verò docent, lucem ipsam reflexam effecti-
 vè concurrere ad intensiorem lucis directe
 productæ, censent quoque, non esse incon-
 veniens, agens, dum adjuvatur à causa æqui-
 voca & fortiore (qualis in præsentibus est sol &
 speculum, ad quod fit reflexio;) agere in
 simile. Nec oculus emittendo in oculum
 sibi similem speciem similem ei, quam ab illo
 excepit; vel ovum ovo simili collisum fran-
 gens illud; licet enim duo habeant eundem
 impulsum, producant similes species, non
 tamen agunt ut similia intendendo qualita-
 tes, in quibus gradualiter sunt sibi similia,
 quin imò agunt in se ut dissimilia, ovum for-
 tius in ovum frangibilius, oculus in alium
 oculum ut non habentem tales species. Idem
 est, dum albedo A imprimit oculo jam ha-
 benti speciem albedinis B omnino similis,
 speciem suam. Neque dum aqua subterra-
 nea hyeme magis calet, aut manus lotæ nive
 magis incalescunt, aut calx affusâ aquâ ac-
 cenditur; in his enim, nec eadem pars caloris
 se ipsam intendit, nec una agit in alteram in
 intensiorem sibi similem; sed major minorve
 intensio est ab aliis causis æquivocis, v. g. à
 calidis exhalationibus vel spiritibus in hyeme
 à sui-

à frigore nimio aquâ, aquâ affusâ caleē, nive manūm poros obsidente exhalari prohibitis, adeoquē retrocedentibus & aquam manufquē calefacientibus, imò unitis & condensatis inter se viribus calcem accendentibus. Nec pondo additum alteri pondo plus deprimens libræ lancem; nam nec pondo unum alterius gravitatem parem intendit, nec habens impulsū ut unum, plus deprimat lancem habentem impulsū ut unum, sed singula habentia gravitatem ut unum simul producant impulsū illum intensiorem, non aliter, quàm si eodem tempore fuissent imposita.

XVI. Causalitas causæ efficientis seu actio est dependentia effectus à causa efficiente, sive quo mediante effectus manat & pendet ab agente. Specificatur extrinsecè à suo principio, termino, & passo, ita ut ista actio ab alia actione censeatur specie vel numero diversa, cujus vel principium, vel terminus, vel passum à principio, termino, passo alterius est diversum specie vel numero, & illæ eadem specie vel numero, quarum & principia & termini & passa sunt eadem numero vel specie.

XVII.

XVII. Actio eductiva & passio est una realis entitas, & ut Arist. 3. phys. Tex. 18. inquit: *unus amborum* (intellige moventis & moti) *actus*; quæ quatenus respicit principium sui effectivum, dicitur actio, & denominat illud agere, quatenus respicit passum, in quo recipitur, dicitur passio, & denominat illud passum, sicut eadem via respectu ascendentis est acclivis, respectu descendentis declivis. Cui non obstat, quòd generatio & spiratio activa in divinis à generatione passiva distinguatur realiter: nam in divinis processiones activæ identificantur principiis activis v. g. generatio activa paternitati, passivæ passivis v. g. generatio passiva filiationi, & tam hæ, quàm illæ constituunt distinctas Personas. Distinguuntur tamè ratione ratiocinatâ secundum illud Arist. l. c. Tex. 22. *esse actum hujus ab hoc* (qualiter actionem) & *esse actum hujus in hoc* (qualiter passionem definit) *ratione diversum est*. Cui non obstat, quòd actio eductiva quæ talis passum, & etiã passio quæ talis respiciat formaliter agens; nam adhuc modus considerandi formaliter actionem eductivam, ut talis est, diversus est à modo considerandi passionem, ut passio est; sicut enim via eadem;

dem, acclivis & declivis etsi eosdem respiciat terminos, radicem & cacumen montis, considerata tamen ut acclivis respicit radicem montis tanquam terminum à quo, & quasi primò, cacumen montis tanquam terminum ad què, & quasi indirectè & secundò: sic actio eductiva ut talis dicit actum principii activi tendentem in passum, passio ut talis dicit actum principii passivi proveniente[m] à principio activo, etsi de cætero uterquè respectus ad agens & ad passum tam actioni, quàm passioni formaliter sit essentialis. Sic igitur lignum calefieri ab igne, & ignem calefacere lignum; formaliter diversa sunt: quamvis alii per primum velint, non intelligi passionem, sed ad significandam hanc sic dici & formari debere propositionem; *lignum recipit calorem ab igne.*

XVIII. Actio eductiva transiens non est in agente; hæc enim in eo est, quod movetur & patitur, & quod per illam mutatur, ut inquit Arist. Sed nequè agens ut agens, nequè agens quod agens est, actione transeunte movetur, patitur aut mutatur; agenti enim per hoc, quòd alteri actu communicet perfectionem, seu det suum esse, non advenit
major

major perfectio, aut denominatio intrinseca, sed tantum extrinseca, qualis advenit parieti ex eo, quod videatur, adeoque qualem effectum formalem visio tribuit parieti viso, seu quale constituit cum eo totum, talem actio tribuit effectum formalem agenti: certe Deus se solo educens formam quampiam, educationis hujus subjectum esse non potest. Neque ex eo, quod agens modificatum sit actionis, sequitur eam agenti inhaerere; cum ad modum non requiratur, ut intrinsece subiectetur in modificato, ut patet in creatione, quae modificatum quidem, sed nullum habet subjectum inhaesionis; imò ne quidem ut actio sit modificato contigua, quod addo propter actionem in distans, quae agenti, quod modificat, contigua tamen non est, quam contiguitatem cum modificato, vel inhaerentiam in eo modi alii exigunt; non quatenus praecise modi, sed quatenus tales modi sunt. Neque actio inhaesive est in termino (quidquid sit de eo an illi intrinsece adhaereat): dabitur enim aliàs mutua causalitas, dum effectus dependet ab actione effectivè, & haec ab illo in genere causae materialis. Sed est in passo, sive in eo, quod de
poten-

potentia passiva reducitur ad actum, & quod mediâ actione exercet virtutem suam passivam; quod tamen ab ea non denominabitur agens, cum illud solum ab actione capax sit denominari agens, à quo ea effective procedit. Sic dum ignis una actione plures calefacit homines, eadem actio non erit in pluribus locis, quia hi plures homines, & spatium intercedens inter eos, erit passum adæquatum hujus actionis divisibilis. Quinimò actio eductiva ut talis est in passo; etsi enim quatenus præcisè actio est, non dicat subjectum inhætionis, dicit tamen illud, quatenus talis est actio, elicitam nimirum dependentem à subjecto: unde tamen non sequitur, actionem eductivam ut actionem eductivam, esse formaliter passionem.

XIX. Actio creativa est productio causativa rei ex nihilo subjecti, sive ex non præexistente vel præsupposito subjecto influente in genere causæ materialis. Distinguitur & illa tam à Deo creante ejusque volitione, quâ ipse vult absolute & efficaciter communicare hic & nunc rebus esse sine dependentia à subjecto; hanc enim habuit Deus ab æter-

h

no,

no, absque eo, quod res ab æterno crearet; quàm à termino non tantùm educibili, aut à Deo & creatura simul creabili (patet enim, ab eo posse separari creationem, si nimirum educatur, vel saltem hanc specie creationem, quâ creatur à solo Deo, si creetur à Deo & creatura simul) sed etiam à termino tantùm à solo Deo creabili; etsi enim talis terminus, utpote creatura, per suam entitatem exigit à Deo dependere, sitque ipsa radicalis dependentia, vi cuius non possit esse sine aliqua actuali dependentia à Deo, ipsa tamen formalis dependentia, quâ actu & formaliter à Deo dependet, est illi quid superadditum, adeoque non essentialis; imò licet sine aliqua indeterminata dependentia formali concipi & esse non posset, hæc tamen indeterminata dependentia non magis erit de ejus essentia, quàm ubicatio, vel etiam ipse Deus. Est in termino, tanquam in subjecto adhesionis.

XX. Actio & virtus creativa, saltem principalis, ita Deo est propria, ut nulli enti creato aut creabili, ne quidem divinitus, possit communicari. Ex virtute enim creativa colligunt SS. PP. infinitatem naturæ, & ex
hac

hac vicissim potentiam creativam, ergo sicut implicat, illam inesse creaturæ, sic & hanc illi inesse repugnat. Et licet influxus causæ materialis, quem creator supplere debet, sit finitus, est tamen talis, ut non possit suppleri in alio genere causæ, nisi à potentia infinita; sicut etsi concursus, quo concurrat Deus cum creatura, sit finitus, est tamen talis, ut à nulla creatura suppleri possit. Dixi: *saltem principalis*: censeo enim, non repugnare creaturam, quæ obediencialiter elevetur ad instrumentaliter creandum effectum, quem ipsa naturaliter poterat educere, aut ad quem educendum elevari poterat; ad hunc enim virtutem innatam videtur habitura.

XXI. Actio conservativa est influxus causalis, per quem res immediatè ante existens continuat suam existentiam, & quasi continuò fit. Tali influxu res omnes creatæ directè & immediatè conservantur à Deo, juxta illud ad Heb. *Deus portat omnia verbo virtutis suæ*: & per solam hujus influxus subtractionem annihilantur, etiam res tales, quæ de cætero, nequè ab ullo agente

h 2

extrin-

extrinseco violentiam pati possunt, nequē ex se tendunt ad corruptionem ut Angeli, & id quidem perfectioni divinæ potentiaē est adscribendum, utpote semper & omnino rebus omnibus necessaria; licet enim artifico creato maximo verteretur vitio, produceret effectum, qui non possit permanere, nisi ipse continuō circa illum operetur, & eundem quasi fulciat, quia virtus creata operando laborat, fatigatur, redditurquē inepta ad alios pro eodem tempore effectus producendos; non tamen Deo, qui sine fatigatione ad omnia est sufficientissimus. Quandoquē autem res à solo conservantur Deo, nimirum dum pereuntibus, vel non approximatis amplius aliterve impeditis earum causis creatis, ipsæ permanent in suo esse, v. g. ignis B amoto igne A: calor in fornace amoto omni igne &c. quæ conservatio etsi sit educatio, specie tamen distincta est ab actione, quā tales res primò educebantur à Deo & causa secunda simul. Quandoquē conservantur à Deo & causa secunda simul, v. g. calor in fornace, quamdiu permanet in ea ignis; ignis enim sic manens applicatus, utpote causa necessaria, agit aliquid, non

non calorem novum producendo, nec intendendo veterem (suppono enim, tam esse debilem, ut id non possit) ergo conservando veterem.

DISSERTATIO XII.

De concursu causæ efficientis Primæ cum secunda.

I. **D**EVUM in omnes causarum secundarum operationes immediatè influere, testatur Scriptura; inquiens: *Sine quo factum est nihil; & qui operatur omnia in omnibus*: sunt enim hæc accipienda in sensu proprio, nimirum de *causare*, propriè dicto, quale non est *causare mediatè*, conservando ipsas causas & causarum causas. Est què influere hæc ratione immediatè in singulas creaturarum operationes perfectio simpliciter simplex, spectat què ad perfectissimum Dei in creaturas dominium, non solum, destruendo ipsas causas secundas, aut injiciendo illis qualitates quasdam stupefactivas, sed & per solam concursus immediati, subtractionem posse earum operationes im-

h 3

impe-

impedire; ad quas impediendas non sufficit divinæ voluntatis imperium; hoc enim creaturæ irrationales non percipiunt, nisi amittendo, vel non accipiendo physice aliquid ad agendum requisitum: & licet illud creatura rationalis percipiat, per illud tamen ejus operatio formaliter non impiedetur. Etsi igitur causa creata totam effectus sui perfectionem contineat, ideoque ad summum non egeat compiticipio creato, non eximitur tamen à dependentia à Deo in agendo, sicut eximitur à dependentia à Deo in essendo, & sicut nec effectus causæ secundæ, utpote creatura, ab immediato Dei in se influxu eximi potest. Neque tamen hinc Deus denominari poterit videns, bibens, ambulans &c. (sicut ex eo, quod cum sole influat in illuminationem, cum igne in calefactionem, denominari potest illuminans) quia hæc & similia præter activam productionem important quoque harum actionum vitalium receptionem, adeoque tribui non possunt nisi ei, quod has actiones elicit & simul recipit. An autem hinc Deus appellandus sit causa partialis,

tialis, est quæstio de nomine, saltem id nullam infert imperfectionem, cum Deus liberrimè attemperet concursum suum in actu secundo, ut cum eo simul possit in eundem effectum influere creatura. Porro id observandum, cum causis materiali & formali, finali & ideali influere Deum solummodo in genere causæ efficientis, cum non sit id, quod media unione cum alio constituit compositum, quod representatum movet ad sui amorem (nempe dum finis creatus finalizat) quod inspectum dirigit, sed quod cum agente educit unionem vel formam, cum voluntate amorem finis, cum intellectu cognitionem illam dirigentem &c.

II. Etsi præterea Deus per præviam concursus sui oblationem, perque specialia & indebita sæpiùs auxilia actualia & habitualia præviè collata causas secundas ad operandum excitet, habiliter & compleat, nunquam tamen eas ad operandum prædeterminat (quàm vocè, ait Oviedo, hinc inde in libros D Thomæ irrepsisse nimiam incuriam vel potius curam, & illi manente eodem sensu D Do-

Etoris posse substitui: *prædestinatio: decernit dare auxilia efficacia*) immitendo iis qualitatem aliquam citra earum libertatem eam procurandi, aut admittendi, aut habitam rejiciendi, quæ physicè causis secundis inhaereat, sitquæ naturâ prior actione creaturæ, utpote peculiare ejus principium, ita essentialiter & intrinsecè connexa cum una contradictionis aut contrarietatis parte, ut impossibilis sit cum altera. Præterquam enim, quòd talis qualitas nequæ requiratur ad complendam in actu primo proximo vim causativam causæ, utpote quæ completur sufficienter per decretum Dei indifferens, imò causam liberam complere nequeat, utpote quæ in actu primo proximo completur, tam quòd ad odium, quàm amorem & utriusquæ omissionem: nequæ ad tollendam indifferentiam causæ secundæ, utpote quæ, si necessaria est, habitis omnibus ad agendum requisitis, etiam absquæ hac qualitate, non est indifferens amplius; si libera est, habitis omnibus ad agendum requisitis, se ipsam liberrimè ad alterutram contrarietatis vel contradictionis partem deter-

determinat: nequē ad hoc, ut creatura
in operari dependeat à Deo, utpote ad
quod sufficit, quòd Deus concursu simul-
taneo cum ea concurrat, adeoque ad ni-
hil seruiat; insuper videtur destruere li-
bertatem, de cuius essentia est, habitis non
tantum omnibus, sed & in sensu com-
posito manentibus omnibus ad agendum
requisitis (aliàs enim potentia necessaria
etiam erit libera, cum & hæc in sensu
diviso, sublato nimirum aliquo, per quod
determinatur, possit non agere) potest a-
gere, & non agere. Ille enim sensus com-
positus repugnat libertati, qui reverà an-
tecedit omne liberum exercitium, adeo-
que infert necessitatem antecedentem, i-
mò qui est causa necessaria operationis
necessariò secuturæ, sed talis est sensus se-
mel habitæ prædeterminationis. Nequē sal-
vas libertatem dicendo; stare cum præ-
determinatione indifferentiam iudicii repræ-
sentantis objectum sub ratione boni & ma-
li; quid enim me hoc iuvat? si aliunde
ad unam partem sum prædeterminatus. Ne-
quē salvas libertatem dicendo: stare cum
prædeterminatione potentiam remotam a-
gendi

h s

gendi

gendi contrarium; hæc enim etiam fit cum visione beatifica, quâ tamen habitâ, beati non amant liberè. Deniquè ex prædeterminatione infertur, Deum esse causam peccati; ille enim est causa peccati v. g. Judæ, qui Judam constitutum in deliberatione, num vellet, nec ne prodere Christum, & non potentem se ex se determinare ad alterutram partem, determinat potius ad proditionem, quàm non proditionem, cum potuisset illum implendo æquè munus causæ primæ determinare ad non proditionem. Procedit itaque actus, qui est ipsa formalis determinatio & actuatio sui principii, à principio ut indifferente in actu primo proximo (quod essentialiter requiritur ad principium liberum) non tamen manente indifferente, sed determinante se ipsum in actu secundo (per quod tamen non intelligitur determinatio procedere ab eo toto, quod dicitur actus secundus, aliàs procederet à se ipsa, utpote quæ est constitutum actus secundi, sed ab eo, quod actus secundus dicit in re-cto) quæ determinatio non est prævia, nequè fit ab alio sine illo, & hanc determinatio-

nationem formalem principium indifferens in actu primo continet, non quidem formaliter, sed virtualiter, quia efficit illam, adeoque præterquam, quòd contineat v. g. amorem & odium, continet etiam virtualiter determinationem ad alterutrum. Habet insuper principium indifferens cum hac determinatione formali seu actione sua æquè perfectam actualitatem, imò perfectiorem, cum actualitas ab entitate rei non distinguatur, adeoque sit tanta, quanta est rei entitas, neque potentialitatem logicam majorem habet, cum æquè existat, habet tamen potentialitatem physicam majorem ad efficiendam actionem, quod est perfectionis; datur enim illa etiam in Deo quò ad actiones ad extra. Dicitur autem Deus causa prima, non quia prædeterminat secundas, sed quia prior dignitate est & efficiendi consequentiâ, in quantum bene sequitur; creatura operatur, ergo etiam Deus, non contra; item quia Deus à nullo in operando dependet, etsi liberè volendo applicare omnipotentiam suam creaturæ, eandem omnipotentiam

illi subordinet per decretum indifferens, quod dein à creatura in actu secundo determinatur, non quòd illud ex indifferente fiat determinatum, sed quòd vi hujus ejusdem decreti Deus à creatura determinatus, concurrat ad hunc potiùs, quàm illum actum. Dicitur creatura à Deo moveri, agere ut mota &c. non quia prædeterminata agit, sed quia à Deo suum esse & ad operandum inclinationem accipit (sicut ideo gravia & levia dicuntur ab Arist. moveri à generante) item, quia non movet se, nisi dependenter à Deo, à quo omnis ejus operatio dependet, non quidem ut est operatio causæ secundæ (in quantum enim hæc operatio cognoscitur in adæquatè in ordine ad unum principium, nempe creatum, non cognoscitur in ordine ad alterum, nempe Deum, etsi à parte rei respiciat utrumquè) sed quæ est operatio & determinatio causæ secundæ; propter quod etiam creatura non est primum agens liberum, quale dicitur illud, quod seipsum independenter ab omni alio determinat. Deniquè quia à Deo ad operandum excitatur per gratias, easquè sæpè efficaces, id est, tales, quas videt, si hæc & nunc offerat, secuturum infallibiliter, libe-

liberè tamen, effectum, quas offerendo absque prædeterminatione facere potest, ut homo infallibiliter, liberè tamen, eliciat actum, quem Deus ipse voluerit.

III. Concursus Dei in actu primò, quo redditur omnipotentia in actu primo proximo. expedita ad cooperandum creaturis, quò ad causas necessarias, est voluntas Dei absoluta, efficax, determinata, quâ dicit: *Volo hîc & nunc cum hac causa necessaria concurrere ad tales effectus, ad quos ipsa ex natura sua est determinata.* Quod decretum, quia applicatur illis, illud, & non aliud exigentibus, sive quia Deus movetur ad illud applicandum ab ipsis causis necessariis, dicitur, etiam ab illis determinari ad speciem. Quò ad causas verò liberas, est volitio Dei absoluta efficax, sed indeterminata & indifferens, quâ dicit: *volo hîc & nunc concurrere cum voluntate creata ad hunc actum amoris, vel ad hunc actum odii vel ad hanc utriusque omissionem;* tale enim decretum maximè proportionatum est libertati causæ secundæ, utpote relinquens illam in actu primo proximo omninò indifferentem. Est efficax, quia habet suum intentum; hoc enim tunc habet, quando vi illius ponitur vel

amor, vel odium, vel utriusq; omisio. Est absolutum & non conditionatum hoc modo: *volo cum voluntate elicere amorem, si illa elicerit amorem, vel volo cum illa elicere odium, si illa elicerit odium &c.* quasi Deus expectet, quid faciat voluntas, & hoc præviso, velit etiam ipse ad id concurrere; videre enim non potest Deus, quid voluntas creata sit factura, nisi antecedenter videat suum concursum jam præparatum, utpote qui est unum ex necessariò prærequisitis ad agendum. Neq; est conditionatum hoc modo: *volo concurrere simpliciter cum creatura ad amorem, si illa concurrat ad amorem;* cum enim concursus Dei & creaturæ in actu secundo sit idem, & hunc non possit creatura ponere, nisi antecedenter sibi habeat applicatam omnipotentiam, seu concursum Dei in actu primo, est hoc idem dicere; ac *volo meum concursum, si ponatur meus concursus;* quod est nugatorium. Est denique indifferens & indeterminatum, etsi determinatū dein à causa secunda habeat determinatum effectum, quem quia præcisè non intendit, manet in actu primo indifferens; & tale ut sit, necessè est, cum aliàs nequeat relinquere voluntatem in actu primo
 proxi-

proximo indifferētem ad utramq; contradi-
ctionis & cōtrarietatis partem, adeoq; dicen-
dum non est, esse determinatum cōcomitans
operationem liberam ex eo, quòd Deus præ-
viso per scientiam mediam amore futuro sub-
tali auxilio, illum velit determinatè; præter-
quã enim, quòd hoc decretum, utpote unum
ex prærequisitis ad operationem liberam, nō
possit se habere cōcomitanter ad illam, dum
voluntas à Deo videtur positura libere amo-
rem sub tali auxilio, videtur quoquē in actu
primo proximo expedita ad odium, & tamen
nō adest decretum determinatum ad odium.
Ac demum Deus nequit dicere simpliciter: *si
offeram illi meum concursum cum tali auxilio
extraordinario, illa ponet amorem libere* sed
debet dicere: *si offeram meum concursum non
determinatum &c.* Nec est, quòd dicas, po-
tentiam progressivam non applicari ad am-
bulandum per similem volitionem disjuncti-
vam ambulandi vel ad dexterã vel sinistram;
potentia enim progressiva ita indeterminatè
applicata, nec à se ipsa, nec ab alio ulterius de-
terminatur, uti omnipotentia sic applicata
determinatur dein à creatura. Nequē talis
indeterminatio involvit imperfectionem,
cum

cùm non oriatur ex objecti confusa representatione. Neq; supervacaneum est, Deum offerre concursum ad illam partem, ad quam scit, creaturam se non determinaturam; præterquam enim, quòd id ad salvandam libertatem sit necessarium, Deus non offert suum concursum, post prævisam absolutè determinationem creaturæ.

IV. Concursus hic Dei in actu primo indifferens determinatur dein à creatura, sive ea libera sit, sive non, ad speciem actus; ex duabus enim causis, quarum una est universalis, indifferens, utpote alteri attemperata seu applicata per voluntatem præviam, adeoque nec proximè libera, qualis est causa prima respectu causæ secundæ, tam liberæ, quàm necessariæ; altera verò est particularis & vel proximè libera sui què determinativa, utpote quæ habito seu oblato concursu alterius potest agere & non agere; vel certè ex natura sua determinata ad talis speciei effectus, qualis est causa secunda, tunc censetur determinari causa universalis, id est, ratio, quare hic specie effectus præ opposito specie effectus procedat, non refunditur in universalem, sed particularem. Neq; sic Deum à
crea-

creatura determinari dedecet, cum non determinetur ex necessitate aut indigentia, sed quia liberrimè vult sic determinari. Nequè hìc valet argumentatio: omnis creatura procedit à Deo, determinatio ut determinatio est creatura: ergo procedit à Deo; quia committitur fallacia figuræ dictionis, qualificando aliquid in minore, quod qualificatum non erat in majore, uti etiam fit in hoc syllogismo: *quidquid emisti comedisti, carnes crudas emisti, ergo: de cætero utiquè res, quæ est formalis determinatio, est creatura, & procedit à Deo simul & creaturâ.*

V. Determinatur vice versâ creatura, tam libera, quàm necessaria à Deo ad individuum actus, sive Deus ratio est, cur procedat hoc individuum præ alio omninò simili ejusdem speciei; causa enim secunda, cum omnia individua ejusdem speciei possibile non discernat, ad hoc præ illo producendum se nequit determinare, & consequenter ad hoc libera non est, etsi libera sit ad ponendum hoc individuum præ oppositæ speciei individuo. Neq; etiâ ad hoc determinatur à natura constituyente certam seriem individuorum ordine producendorum; hoc enim absq; fundamento

mento asseritur. Neq; à tempore, loco aliisq; circumstantiis, utpote quæ indifferentes sunt, ad quæcunq; ejusdem speciei individua; ergo à Deo. Non determinat autè ille voluntatem ad individuum, postquam illa determinaverit se ad speciem actus, cum determinatio Dei ad speciè facta à creatura, & determinatio creaturæ ad individuum facta à Deo sit eadem entitas; sed determinat illam antecederè per tale decretum: *volo hic & nunc cõcurrere cum Petro, vel ad actum amoris A tantum, vel ad actum odii A tantum, vel ad utriusq; omissionem A tantum*, per quale decretum redduntur voluntati omnia alia individua impossibilia.

VI. Concurfus Dei in actu secundo est indistinctus ab operatione causæ secundæ, sive Deus & creatura per eandem omninò actionem influunt in effectum. Dato enim, Deum creaturis immittere præmotionè physicam, insuper debet in actu secundo simultaneè concurrere ad effectum; aliàs immediatè non influet in illum; neq; tamen hic concursus Dei distinctus ab ista prævia præmotione est simultaneus distinctus concursus à concursu creaturæ; aliàs concursus creaturæ, per quem ipsa sola influat in effectum, non de-
pen-

penderet à Deo immediatè, quod in sententiam Durandi inclinatur; vel si depēdet à Deo, depēdebit ab eo immediatè per suam entitatem, & consequenter effectus vi ejusdē actionis imēdiatè dependebit à Deo, adeoq; unus idemq; influxus in effectum est Dei & creaturæ. Nunquā igitur causa prima cooperans creaturæ, agit prius prioritate causalitatis in effectum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda, sed tantum prioritate logica. Nequē actio creaturæ pendet à concursu Dei in actu secundo, sed à concursu Dei in actu primo. Estq; dependētia effectus à causa secūda ipsa dependentia effectus à causa prima. Cui non obstat, quòd necessarium sit effectui, dependere à causa prima, non item à causa secunda; nec enim etiam essentielle effectui est à Deo dependere hac numero dependentiā. Eadem deniq; actio formaliter (utpote quæ est formalis determinatio) determinat Deum ad speciem, creaturam ad individuum, Deo efficiēter determinante creaturam ad individuum, & creaturā Deum ad speciem: denominareq; potest Deum agere independenter à creatura, & creaturam agere dependenter à Deo, sicut denominare potest principium effectivū agens, passivum patiens.

VII. Non

VII. Non tamen ideo Deus est causa peccati, sicut est operis boni; quia ad peccatum præter & contra inclinationem concurrat in actu primo & secundo, vultque illud solum voluntate permissiva, (non voluntate desiderii & complacentiæ, qualiter illud volendo, produceret cum inclinatione, adeoque causeret) & ideo tantum, ne lædat libertatem, aut agat contra exigentiam causarum secundarum, & ut satisfaciat officio causæ universalis, quasi diceret: volo concurrere, vel ad hunc actum peccaminosum, vel ad illum actum bonum, ita tamen, ut actum peccaminosum detester, & non præberem ad eum concursum, si aliter illæsam servare possem libertatē creaturæ, & officio causæ universalis satisfacere: è contra actum bonum optem à creatura elici. Adeoque decretum illud, quo applicat suam omnipotentiam, non dicitur indifferens, eò quòd Deus æquali affectu in utramque partem inclinetur, sed quòd reddat creaturam, & relinquat proximè expeditam ad utramque partem. Dicit ergo ad summum potest Deus causa per accidens peccati, non quidem talis, quæ omninò non influat in peccatum, sed quæ absque inclinatione & intena-

intentione in illud influat, sicut potentia progressiva in claudicationem ; Item dici potest per se, id est, per virtutem propriam, & non alienam, influere in peccatum. Unde non quidquid causat creatura, concausat cum ea Deus, sed vel concausat, vel comproducit Deus. Nequè opponas primò : offerens alteri gladium, quem certò scit eo abuturum ad innocentis necem, peccat, & est causa moralis homicidii : nam in eo est disparitas, quòd teneatur quis impedire innocentis necem, adeoquè non offerre gladium ; Deus verò non teneatur, nec possit impedire mala, negando suum concursum ad ea, quin simul tollat libertatè ad bona. Neq; secundò dicas : Deus determinat ad hoc individuum peccati ; etsi enim ideo sit ratio, cur illud præcisè individuum peccati præ alio ejusdem speciei exerceatur, non est tamen causa, cur illud simpliciter exerceatur. Nec Tertiò : qui vult bonum vel malum sub disjunctione V. G. qui vult orare vel blasphemare, adhuc simpliciter vult malum : nam ille vult adhuc malum simpliciter, qui vult bonum vel malum æqualiter utrumquè intendendo, & tunc, quando potest utrumquè liberè omittere ;

non

non verò ille, qui unum vult cum averfione, & qui non potest ex fuppositione decreti de concurrento cum caufis liberis juxta earum exigentiam, non velle hoc modo utrumquè. Nec quartò: faltem Deus abfquè averfione offert fuum concursum ad peccata, quæ ideo tantùm mala funt, quia prohibita, cùm ad illa offerat concursum fuum, antequàm ea prohibeat, utpote quæ prohibere non potest, antequàm fint poffibilia, qualia non funt ante oblatum concursum: nam potest mihi Deus prohibere V. G. comestionem carni-um, antequàm hæc mihi fit proximè poffibilis, dummodo certò futura fit poffibilis post prohibitionem; dicit enim Deus: prohibeo tibi carnes comedere, tunc, quando id tibi erit proximè poffibile, fi-ve quando per oblatum tibi concursum meum indifferentem eris proximè potens comedere carnes, per quod non offertur mihi actu formaliter iste concursus.

* * *
* *

DIS-

DISSERTATIO XIII.

De motu.

I. **M**OTUS est *actus* (intellige essentialiter imperfectus, qualis est omnis actio creata, utpote de cuius essentia est, actuare subjectum imperfectè, quia ex natura sua ordinatur proximè ad actum alium perfectiorè in subjectum inducendum, nempe formam, quæ est actus perfectus, si ita actuet subjectum, ut nō relinquat illud in potentia, seu magis naturaliter perfectibile v. g. forma ignis, calor ut octo; est actus imperfectus, si relinquat subjectum ulteriùs perfectibile, sed accidentaliter imperfectus, quia ex natura sua non ordinatur ad inducendum in subjectum actum perfectiorè, & sine ulteriori actu naturaliter potest existere, tales sunt qualitates in gradu remisso) *entis in potentia* (intellige ad actum hunc imperfectum seu motum, & perfectum seu formam per ipsum productam recipiendum, seu materialiter causandum: per quod excluditur creatio) *pro ut in potentia*: id est, quatenus immediatè ante existebat sub privatione talis actus imperfecti & perfecti (per quod exclu-

excluduntur eductiones formarum ex materia eductarum pro eodem tempore, quo hæc creatur; harum enim in materia non præexistit privatio) vel etiam quatenus subjectum per motum relinquitur in potentia ad formam pro illo priori naturæ, quo motus seu actio productiva formæ formâ prior est.

II. Motus est varius; vel enim est generatio, vel nutritio, vel augmentatio, vel alteratio, vel motus localis, prout est vel ad substantiam primò producendam, vel augendam; vel quantitatem augendam; vel ad qualitatem; vel ad ubi. Alius item est motus instantaneus, cujus terminus totus simul producitur, ut generatio ignis: alius successivus, per quem acquiritur terminus successivè, & una pars post aliam, ut productio caloris in ligno ob frigus resistens, quibus caloris partibus aliis post alias productis correspondent partes actionis, fluentis, quæ singulæ sunt propriè motus, cum supponant illius partis, quam producunt, privationem in subjecto. Erit autem motus instantaneus, etiam materialiter acceptus, essentialiter diversus à successivo, si motus identificetur durationi; implicat enim durationem, quæ essentialiter
fluens

fluens est, utpote affixa tempori fluenti, fieri permanentem.

III. Specificatur motus à principio, passo, & termino ad quem, sive per motum producto. Contrarietatem desumunt motus ab oppositione terminorum per motum productorum: sic actio productiva caloris ut octo opponitur frigefactioni productivæ frigoris ut octo, motus orientem versùs motui occidentem versùs. Motibus autem contrariis simul nihil moveri potest, cum terminos per tales motus productos simul recipere nequeat: dum ergo homo attollit brachium unum sursum, alterum deorsum, anima movetur motibus contrariis, sed inadæquatis secundùm diversas ubicationis partes, si ubicatione animæ rationalis est divisibilis; vel movetur in hoc casu uno indivisibili motu, tendente ad unicam indivisibilem ubicationem diversam à priori, si ubicatione animæ sit indivisibilis. Ambulans quis versùs orientem in navi defluente versùs occidentem, si celerius ambulet, quàm navis defluat, movebitur unico motu orientem versùs, si minùs celeriter; movebitur unico motu versùs occidentem, si æquè celeriter, conservabit præsentiam suam localem in eodem spatio.

i

IV:

IV. Moventur projecta ab impulsu, qui est qualitas facilè mobilis à propellente corpori impressa; in eo distincta à gravitate & levitate, quòd non tantùm sursum vel deorsum, sed in omnem partem impellat; in primo fieri dependens à propellente, in cōservari à solo deo, quandoq; producta cū motu locali, aliquando sine illo, ut dum lapis quietè jacēs in mēsa imprimit illi impulsu deorsum. Ratio est, quia motus durat projiciente cessante à projectione: & incredibile est, globos tam grandes tanta velocitate moveri contra naturalem gravitatem, à solo aëre simul moto & diviso, dein allapsu suo corpus mobile propellente. Neq; hinc sequitur, motum projectorum fore naturalem, eò quòd sit à principio illis intrinseco, quia illud movetur motu naturali, quod movetur à principio intrinseco, quod ipsum mobili est connaturale.

V. Motus resilientiæ est ab impulsu corpori impresso, partim à projiciente, partim à corpore obistente, partim ab ipsiusmet mobilis gravitate deprimente; horū enim aliquo mutato, mutatur ipsa resilientia; aliter enim resilient pila ferrea, aliter lanæa, aliter magno impetu projecta, aliter naturaliter cadens, aliter ca-

dens

cadens in lapidem, aliter cadens in lignum vel terrā. Nec obstat, quòd hic motus resilientiæ corpori gravi sit violētus, a deoq; esse nō possit ab ejus gravitate; nā est à gravitate tanquā à principio inadæquato & per accidens, non verò per se, seu intendente istam resilientiam.

VI. Tarditas & velocitas motus bene explicātur per ordinem ad idem tempus & spatium, ita, ut ille motus dicatur velocior, qui intra idē tempus decurrit plures partes spatii; ille tardior, qui intra idem tempus decurrit pauciores partes spatii. Velocitas motus naturalis in fine major inde est, quòd impetus illius producat à gravitate, quod principium manet, & augetur ab aëre incūbente fortiùs. Tarditas motus violēti in fine major est, quia gravitas & aër obstēs magis illum paulatim debilitāt. Velocitas verò motus violēti in medio major, quàm in initio (ut patet in globis tormentariis fortiùs quatentibus mænia, si passibus aliquot ab iis distent tormēta, quàm si omninò iis sint vicina) verisimiliùs inde est, quod parti post partē imprimatur impulsus, ita, ut paulatim omnes partes habeant impressum impulsum intēsiorem, quem omnes statim sub initium non habebant; & dicitur

hic impulsus imprimi partibus remotioribus ab impulsu impresso vicinioribus, & postquam impressus est omnibus, paulatim debilitatur ab obsistente aëre & gravitate deprimente. Demum quòd gravia etiam sursum moveantur velociùs, quàm levia, ex eo est, quòd densiora sint, pluresq; habeant partes, adeoq; concipiant majorem impetum.

DISSERTATIO XIV.

De Infinito & Continuo.

I. **I**nfinitem, quod quò ad rem est quid positivum, utpote dicēs rem non habere negationem ulterioris esse, seu finem, bene definitur: *cujus secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid ultra accipere; id est, cujus tanta est amplitudo, ut quascunq; ejus partes acceperis, seu mēte successive designaveris, semper aliæ restent accipiendæ.* Aliud est infinitum secundum essentiam seu simpliciter & in omni genere perfectionis, quod caret termino intrinseco (qui est ultimum rei, in quo res veluti ultimò sistit) & extrinseco (qui est primum illud, quod rei contiguum est, aut quod primò excedit rem perfectione) sive quod habet omnem perfectionem

ctionem possibilem, qualis est, & esse potest solus Deus; nam & de hoc secundum quantitatem virtualem accipientibus, semper est aliud extra accipere, non ex quo componatur, sed cui perfecte æquivaleat, quanquam alii bene rō secundum quantitatem; in definitione infiniti omittant. Aliud secundum quid & in certo genere tantum secundum rationem aliquam contingentem est infinitum, idq; vel secundum extensionem partium quantitativarum, vel secundum intensiōem graduum, vel secundum numerum. Aliud iterum categorematicum seu actuale, quod habet partes æquales uni certæ, seu aliquotas actu existentes infinitas; aliud syncategorematicum seu potentiale, quod habet actu partes aliquotas finitas, secundum partes verò, quas successive habere potest, infinitum est, sive cui aliæ & aliæ partes in infinitum addi possunt, vel etiā cujus partes aliquotæ in partes indeterminatas plures & plures in infinitū dividi possunt.

II. Infinitum tale syncategorematicum de facto datur in quocunq; continuo & numero; imò & perfectione creata: nam quacunque creaturâ productâ, Deus potest producere perfectiorem; cum participabilitas Dei sit

infinita, id est, perfectiùs & perfectiùs in infi-
 nitum participabilis ; Item distantia divina
 perfectionis à quacunq; creatura sit infinita,
 id est, perfectio creata possit crescere, & nun-
 quã accedere ad divinam. Nec opponas : col-
 lectio omnium creaturarum possibilium ad
 huc infinite distat à Deo, & tamẽ ultra hanc
 nihil aliud est possibile; nam præterquã quòd
 sic loqui nõ liceat : *collectio omniũ possibilium*;
 quasi hæc certã aliquã collectione includerẽ-
 tur ; hæc collectio est quid indeterminatum,
 dicit semper plura & plura, & tota simul ne-
 quit existere, adeoq; Deus ultra illam non est
 participabilis ; creatura verò ista perfectissi-
 ma esset quid determinatum totum existens
 simul. Distat autem hæc possibilium series
 proximè à Deo collectivè accepta, sive ratio-
 ne omnium, nõ ratione aliquorum acceptorũ
 determinatè & distributivè ; & licet omnes
 hujus seriei creaturæ acceptæ collectivè non
 excedantur ab aliis creaturis (quidquid enim
 est extra hanc seriem, est chimæra) nulla tamẽ
 determinatè assignari potest, quæ nõ excedat
 sursum ascendendo, & quæ non excedat
 descendendo ; neq; Deus ullam ex hac serie
 determinare potest, quæ sit omniũ perfectis-
 sima.

fima, cum quâcunq; determinatè cognitâ, videat aliam perfectiorem, aliàs hæc series non esset infinita. Dum itaq; dicitur : *Deus potest producere perfectissimam, quã potest producere;* falsum est suppositum, & consequenter ipsa propositio; omnis enim propositio de subiecto non supponente, et si identica, est falsa; quales sunt hæc : *Anti Christus sanctus est sanctus : Deus potest facere omnes divisiones continui, quæ possunt fieri.*

III. Infinitum categorematicum creatum in omni genere perfectionis in terminis repugnat; hoc ipso enim esset ens à se, adeoq; non creatum. Implicat quoq; hoc infinitum tã in extensione, quàm in intensione & numero; sequeretur enim duas multitudines aut longitudo-nes infinitas (idè facilè duobus in intensio- ne infinitis applicabitur) etiã post subtractos uni multos millones unitatum aut palmorũ, alterã remanẽte integrã, fore ejusdem speciei (omnes quippè multitudines & magnitudi- nes infinitæ, qualis adhuc remanet multitudo infinita post quamcunq; subtractionẽ partiũ finitarũ, in ratione multitudinis & magnitu- dinis sunt ejusdem speciei, non minùs, quàm omnes numeri septenarii in ratione numeri)

& inter se æquales; quia etiam post factam in una subtractionem sibi congruent; ponatur enim multitudo V. G. Angelorum infinita, ex qua subtracti sunt mille, juxta multitudinem hominum, ex qua subtracti sunt nulli, ita, ut primus ex multitudine Angelorum associetur primo ex multitudine hominum, nullus restabit homo, qui non habeat socium Angelum, vel si qui restent sine socio, erunt postremi mille; sed in infinito ex ea parte, quâ infinitum est, non dantur ultimi, aut excessi ab alio numero vel extensione; inconceptibile enim est, quomodo infinitum minus in numero habeat terminum extrinsecum, nimirum alterum infinitum majus in numero, à quo excedatur, & non etiam habeat terminum intrinsecum, id est, unitatem, quæ excedatur: adeoque sequeretur totum, qualis est multitudo Angelorum ante subtractionem istorum mille, æquale esse parti, qualis est ista multitudo post subtractionem, cum multitudo ista, quæ est ante subtractionem, & quæ est post illam, æqualis sit uni tertio, nempe multitudini hominum. Sequeretur dein etiam, non fore has multitudines ejusdem speciei & æqua-

æqualitatis, cum de essentia cujuscunq; multitudinis aut magnitudinis sit, per quamcunq; additionem vel ablationem mutare speciem, & reddi alteri, cui antea erat æqualis, & cui nihil accessit vel decessit inæqualem. Dato igitur unum infinitum esse majus altero V. G. infinitum capillorum infinito hominum, quorum sunt capilli, idem adhuc simul esse alteri æqualis, jam est probatum: quia si ex abrasis hisce capillis dentur dein singuli singulis hominibus ex ista infinita hominum multitudine, nunquam deficient homines, quibus dentur. Malè autem dicitur, æqualitatem & inæqualitatem in infinitis locum non habere, cum verum maneat axioma Euclidis; *quæ sibi congruunt* (qualiacunq; ea sint, sive finem habeant, sive non) *esse sibi æqualia*: & certè Personæ divinæ, utiq; infinitæ, in symbolo sibi dicuntur coæquales. Malè quoq; dicitur, infinitum solummodò materialiter unum esse majus altero, augeri vel minui; formaliter verò semper unum alteri esse æquale; præterquam enim, quòd hac ratione maneat absurdum, totum nimirum & partem sumpta materialiter esse æqualia, infinitum formaliter

maliter à parte rei præter unitates palmos, gradus intensiõnis, nihil est; undè si ea minuantur vel accrescant, infinitum formaliter dicitur minui. Malè demum dicitur, posse infinitum utrimquè claudi terminis, modò partes his terminis clausæ sint innumerabiles & successivè transiri nequeant. Præterquam enim, quòd hoc non elidat rationè nostram, est hoc idem, ac dicere; posse interminatum terminari, cùm de ratione infiniti sit, carere termino ex ea parte, ex qua est infinitum, Ad hæc, unde probatur, spatium illud intermedium non posse successivè transiri, infinitas æternitatis partes jam transisse, nisi quia nulla earum est prima, nullus palmus talis spatii est primus, adeoq; nisi ratio infiniti defumatur ex negatione primi & ultimi termini. Deniq; in linea infinita terminata utrimquè palmo primo & ultimo infinite inter se distantibus palmorum intermediorum infinitorum aliqui sine dubio distabunt à primo palmo infinite V. G. penultimus, antepenultimus, & sic consequenter: alii finite V. G. secundus, tertius, quartus, & sic consequenter: hi palmi à primo distantes finite, non erunt finiti, aliàs finita distantia per adje-

adjectionem unius palmi fieret infinita, cum palmus ultimus immediatè sequens hos palmos finitos finitè distantes à primò, distet infinitè à primò: non erunt etià infiniti; implicat enim inter palmos finitè distantes à primo non dari ultimum. Nec dicas: inter hominem & lapidem, veluti duos terminos extrinsecos, clauduntur infinitæ species creaturarum possibilium: nam hoc permissò, homo & lapis non erunt tales termini, vi quorum possit assignari ex illis creaturis intermediis ultima, sicut vi termini intrinseci, quo clauditur infinita linea, vel extrinseci V. G. spatii contingentis proximè lineam infinitam, demonstrari potest ultimum lineæ.

IV. Non tamen hæc similesve rationes, quibus infinitum categorematicum oppugnatur, militant pariter contra syncategorematicum; sicut enim implicat, infinita syncategorematica secundum se tota poni, propter potèntialitatem, quam essentialiter includunt, sic implicat illa secundum se tota ad invicem cõparari, & dici majora vel minora, sive secundum collectionem illam infinitam (quæ utpote chimærica nunquã erit) habere

æqualitatem vel inæqualitatem ; nisi forte inæqualitatem aliquam negativam, quatenus æqualitate positiva carent. Dicere itaq; non possum : decem , & plures & plures (qualiter exprimendum est infinitum syncategorematicum) sunt pauciores, quàm viginti, & plures & plures , nisi illud *plures & plures* determines ; possent enim tam multa addi ad decem , & tam pauca ad viginti , ut fiant numeri æquales , vel etiam ut decem superent viginti : si verò pariter addatur ad decem, & viginti (uti fieret in numero capillorum & hominum , dum Deus constanter per singulas æternitatis horas crearet hominem & simul ejus crines) numeri isti sibi nunquam erunt æquales : dum è cōtra per singulas horas crearet unū hominem & unum Angelum, hi numeri sibi semper erunt æquales, adeoq; infinita syncategorematica sibi erunt æqualia vel inæqualia, verùm semper secundum collectiones finitas. Similiter dicere quidem possum : tota æternitas , seu omnes anni vel dies futuri , id est , plures & plures & plures sine termino anni vel horæ , quale quid , & nihil aliud est æternitas ; nō verò per hoc significando, quasi æternitas
 intrin-

intrinsecam aliquam haberet totalitatem, secundum quam aliquando erunt aut esse possint omnes anni futuri evoluti; est enim totalitas hæc chimærica, adeoque hi anni futuri nec inter se, nec cum horis futuris comparari possunt secundum æqualitatem vel inæqualitatem.

V. Neque eadem absurda, quæ ex infinito categorematico, existente à parte rei manarent, manant ex infinito v. g. creaturis possibilibus existentibus objectivè in mente Dei; Etsi enim Deus possibilis, non per plures & plures cognitiones, sed actu, simul unicæque cognitione attingat omnia, actualitas tamen, simultas & totalitas hæc non tenet se ex parte objectorum seu creaturarum producibilium, quasi hæc sub una collectione cognoscerentur, multòque minùs quasi sub una collectione cognoscerentur producibiles; sed ex parte cognitionis divinæ: sub qua licet ita sint omnia, ut nullum possibile ipsi supersit cognoscendum, sive ut nullum maneat in potentia in ordine ad hanc cognitionem, nullumque sit, quod Deus distinctè non cognoscat, non sunt tamen ideo omnia collectivè, sive per modum unius determi-

natae collectionis sub cognitione Dei; sicut nec taliter sunt sub cognitione nostra, dum dicendo: *omne possibile: cognoscimus omnia, quae Deus cognoscit, et si obscure.* Neque enim sequitur: quando nemo est inter omnes, quem non cognosco, tum cognosco, vel cognoscere possum omnes collectivè; nisi quando talis collectio est possibilis, qualis non est ista possibilium collectio. Neque æquipollentes sunt propositiones hæ: *nullum est possibile, quod Deus non cognoscit: & omnia possible cognoscit Deus: si tò omnia accipiatur in sensu colectivo; erit enim posterior de subjecto non supponente.* Unde nec contradictoriae sunt hæ: *omnia possible cognoscuntur à Deo: aliqua possible non cognoscuntur à Deo: cum prior similiter accepta in dicto sensu, sit de subjecto non supponente, quæ ut posteriori sit contradictoria, sic debet exprimi: Omnia possible cognoscuntur distributivè à Deo.* Fertur itaque Deus in cuncta possible per modum tendendi distributivum cognoscendo plures & plures in infinitum collectiones finitas, si ve videt omnia possible ad existendum per quascunque collectivè.

ctiones finitas in infinitum, & impossibilia ad existendum per unam collectionem infinitam: adeoque cognoscit semper infinitum syncategorematicè, & infinitū categorematicè non cognoscit, saltem cognitione affirmante & cognoscente illud ut quid possibile. Contra quod gratis dicitur: si possibile, quæ nunc omnia videntur unâ cognitione, singula viderentur singulis cognitionibus, hæ cognitiones forent categorematicè infinitæ; ergo & nunc earum objecta in mente Dei sunt categorematicè infinita; id enim non magis sequitur, quam: si singulæ æternitatis horæ simul viderentur singulis cognitionibus simul existentibus, hæ cognitiones forent categorematicè infinitæ: ergo & objecta harum cognitionum sunt categorematicè infinita. Unde si omne id, quod Deus nunc videt, existeret eo modo, quo Deus videt, illud posse existere, erit infinitum syncategorematicum: adeoque dum dicitur: *quidquid cognoscit Deus, hoc potest eo modo producere, quo cognoscit*: fit æquivocatio; si enim adjiciatur: potest producere eo modo, quo cognoscit esse producibile, verum est; si verò sic intelligatur: sicut

CUR-

cuncta unâ cognoscit cognitione, sic cuncta simul potest producere unâ productione; falsum est; præterquàm quòd non omne id, quod terminus est cognitionis divinæ, terminus sit etiam omnipotentia. Hinc denique est, quòd Deus videns duas multitudines infinitas non posse existere, adeoque nec sibi coexistere & coaptari, ut sibi congruant (quod est videre, aliqua esse sibi æqualia) non videat eas esse sibi æquales vel inæquales.

VI. Neque ex omnipotentia Dei categorématique infinita bene arguitur, respondere illi dabilem effectum categorématique infinitum; non enim illa ideo dicitur categorématique infinita, sed quia identificatur omni generi perfectionis seu essentia categorématique infinita. Nihilominus distinguitur in eo adhuc à potentia creata, quòd non tantum possit plures & plures, seu infinitos syncategorématique effectus producere sicut illa, sed etiam infinitas syncategorématique effectuum species. Neque, etiamsi hæc omnipotentia foret agens necessarium, productura esset infinitos categorématique effectus; sol enim, etsi sit agens necessarium, habeatque

quæ nunc simul potentiam productivam
 omnis lucis, quam producturus est per to-
 tam æternitatem, non tamen jam producit
 omnem hanc lucem simul: quanquam da-
 to, Deum esse chimæram, potest produce-
 re aliam chimæram, vel potius nihil: hinc
 ex eo quòd admissis infinitis ignibus, hi pos-
 sint infinitos alios ignes producere, non se-
 quitur, Deum nunc idem posse; non enim
 habet ille potentiam æquivalentem infinitis
 categorematicè ignibus, quæ uti hi, sic & il-
 la foret chimærica, sed infinitis syncatego-
 rematicè. Numerus itaque, quem nunc Deus
 potest producere omni numero finito deter-
 minato majorem, non est infinitus catego-
 rematicè; talis enim ut sit, omni insuper
 numero indeterminato debet esse major.
 Similiter Deus faciendo, ut nunc existat,
 quidquid potest nunc existere, aut ab ipso
 produci, faciet existere infinitum syncatego-
 rematicè (suppono enim τ ò quidquid sumi
 distributivè, aliàs acceptum pro collectione
 determinata omnium maxima, quâ major
 non est possibilis, faciet hanc propositionem:
*faciat Deus existere, quidquid nunc potest ex-
 sistere: esse de subjecto non supponente &*
 ean-

eandem cum hac: *faciat Deus existere chimæram, quæ jam potest existere*) facietque existere simul, quidquid distributivè potest existere simul. Jam verò etsi omnia possibile distributivè, & omnia possibile collectivè à parte rei sint idem, adhuc, quia diversimodè sumuntur, mala est argumentatio à sensu distributivo ad collectivum, sicut malè infero: & hanc, & illam, & istam paginam possum spatio quadrantis perlegere; ergo omnes simul. Unde licet quilibet homo ex possibilibus sit seorsim ponibilis, & nullam habeat repugnantiam existendi cum aliis distributivè acceptis, id est, existendi in quacunque collectione finita, repugnat tamen, ut existat in collectione categorematicè infinita, quia hæc ipsa repugnat, & imbibitur hæc repugnantia implicitè in omni ente creato quæ tali.

VII. Nequè deniquè actu & simul nunc existentes negationes rerum purè possibile constituant infinitum categorematicum in numero; sicut enim actu nihil sunt, sic nequidem constituant numerum, qui componitur ex unitatibus, quæ proprietates sunt entis: & hinc dicere: *sunt, vel dantur decem negationes*, locutio est impropria, & idem, ac
dice-

dicere, non dantur decem entia; adeoque dicere, dantur infinitæ negationes, idem est, ac dicere, non dantur infinita entia in numero, quæ est ipsa nostra doctrina. Præterea etsi suo modo existant, non tamen existunt ut collectivè acceptibiles, quia non possunt cognosci nisi ad terminos, nimirum entia realia; positiva, collectivè inacceptibilia.

VIII. CONTINUUM est: *cujus extrema sunt unum*: id est, *cujus partes integrales sunt unum per unionem physicam; quæ partes, prout sunt simul tempore, vel una post aliam, constituunt continuum permanens, ut lignum, vel successivum, ut dies: item prout ut sunt vel entitativæ, vel quantitativæ, vel graduales seu intensivæ, continuum componunt entitativum, vel quantitativum, vel intensivum. Porro hæ partes aliæ dicuntur aliquotæ, æquales, determinatæ, non communicantes, utpote quæ ad invicem comparatæ sunt æqualis magnitudinis, aliquoties repetitæ, & certo numero expressæ totum continuum adæquant, quarum una ab altera nihil participat, sed adæquatè distinguitur, tales partes aliquotæ continui ulnaris,*

V. g.

v. g. sunt quatuor palmi. Aliæ dicuntur *proportionales*, eo quòd non secundùm æqualitatem, sed proportionem inter se comparentur; sicut enim se habet medietas ulnæ ad ulnam, sic se habet medietas hujus medietatis ad mediam ulnam, & sic consequenter: *inæquales*; eo quòd medietas v. g. medietatis non sit æqualis mediæ ulnæ: *in determinata*, non quòd in se determinatæ non sint, aut quòd constituent aliquid in se indeterminatum, sed quòd nullum habeant parvitas terminum, possintquè in minores & minores dividi: *communicantes*, eò quòd una pars semper aliquid participet de aliis v. g. medietas medietatis ulnæ partem medietatis ulnæ, adeoque inadæquatè solùm inter se distinctæ, non quòd medietas medietatis ab altera medietate medietatis ulnæ distinguitur inadæquatè, sed quòd medietas à medietate, cujus ipsa est medietas, sic distinguitur. Unde etiam eadem medietas medietatis ulnæ considerata in ordine ad tres alias partes ulnæ sibi æquales, & secùm determinatæ magnitudinis, erit aliquota; considerata verò tantùm ut medietas medietatis continens in se alias medietates & medietates

dieta-

dietatum medietates, dicitur proportiona-
lis.

IX. Non componitur continuum ex punctis inflatis seu physicis, id est, formaliter indivisibilibus, virtualiter divisibilibus, quatenus occupare possunt locum divisibilem ad modum Angeli, qui & propterea dicitur virtualiter divisibilis; forent enim hæc puncta omnino materialia tota in toto spatio, & tota in qualibet parte spatii, qui modus præsentia juxta consensum Philosophorum solis rebus spiritualibus est naturalis, & corpori Christi in Eucharistia supernaturalis. Ad hæc, linea constans punctis imparibus non poterit æqualiter dividi, eò quòd ab alterutra parte tenere se debeat punctum illud intermedium indivisibile.

X. Nequè componitur ex meris formaliter & virtualiter indivisibilibus seu punctis mathematicis. Primò enim, cum punctum unum ab altero in linea debeat immediatè tangi, ut fiat continuum, tangent se puncta invicè adæquatè sive se totis (cum nequeant se tangere secundum partes, v. g. secundum latus orientale, utpote quales partes non habet indivisibile) adeoque punctum
secun-

secundum cum primo, tertiū cum secundo, ac proinde etiam cum primo penetrabitur (quæ enim se se totis tangunt, sunt in eodem loco, & non per juxta positionem, sed per intrapositionem se tangunt) & consequenter punctum secundum additum primo, tertium secundo &c. imò nec infinita addita puncta facient majorem extensionem. Cui non obstat, quòd unitas addita unitati faciat quantitatem discretam seu numerum majorem; hujus enim magnitudo consistit in pluralitate, quam constituere adhuc possunt duo indivisibilia; quantitatis verò continuæ magnitudo in extensione. Secundò motus unus non erit altero velocior; vel enim cervus & testudo incipientes moveri à puncto A, hic celerrimè, illa tardissimè, pervenient simul ad secundum punctum lineæ pro primo instante, & erit motus æqualis, quia & secundo instante pervenient simul ad tertium punctum lineæ, & sic consequenter: vel non pervenient simul ad secundum punctum, & sic quando cervus pervenit ad secundum punctum, testudo perveniet ad primam vel secundam partem primi puncti: hoc autem dici nequit, cum pun-

punctum non habeat partes: Nequè dici potest, quòd interea, quo testudo transit unum punctum, cervus transeat plura; isto enim tempore, quo cervus transit unum punctum, vel testudo nihil transit, & sic non movetur, vel transit aliquid, & jam etiam transit punctum, cùm pars puncti non datur. Nequè dici potest, omnem motum interrumpi per morulas aliquas quietis, tardum per plures, celeriores per pauciores; quomodò ergo motus erit continuus? quis credet, globum tormentarium, vel lapidem molatrem de cælo cadentem in aëre quiescere paululùm? quis illi novum imprimat impulsus? vel si prior impulsus & gravitas manet, cur non agit semper, cum sit causa necessaria? Tertiò linea diametralis ducta ab uno ad alium angulum perfectissimè quadrati, non erit longior lineis costalibus; transibit enim singula tantùm puncta linearum singularum ductarum à singulis lineæ costalis punctis ad singula puncta opposita lineæ costalis.

XI. Sed constat partibus divisibilibus in infinitum, subintellige, syncategorematicè, ita ut, dum actu dividitur, relinquat semper po-

ten-

tentiam ad ulteriorem divisionem, & nunquam dividatur in infinitum categoremari-
cè, id est, ut omnes divisiones simul & seme-
ponantur in actu, nihilquè restet amplius di-
videndum. Unde dum dicitur: *dividat Deus
palmum in tot partes, in quot potest divider-
eum* (si significare debeat; faciat tot diver-
siones, ultra quas nulla amplius est possibili-
lis) idem dicitur, ac: *faciat Deus chimaram
tantam, quantam potest facere*. Licet enim
Deus quamlibet determinatè & distributive
partem ab alia determinata parte separare
possit, quamlibet tamen collectivè, sive
omnes simul ab invicem separare nequit,
cum nulla sit, quæ non includat potentia-
litatem ulterioris divisionis. Neque sequi-
tur primò ex dictis, has partes in infinitum
divisibiles facturas extensionem infinitam;
hæc enim, ut fiat, deberet esse partes infinitæ
aliquotæ, non communicantes, & versus
majoritatem infinitæ; sicquè partes quot-
cunquè, quatenus sub quantitate aliqua de-
terminata finita contentæ, & solum versus
minoritatem in infinitum divisibiles, per-
transiri poterunt; etsi non cum enumera-
tione singularum partium proportionalium,
seu

seu enumerando dimidia dimidiorum. Nec secundò, tot fore partes æquè magnas unius grani, quot globi cælestis, sed granum posse dividi in partes æquè multas, cum proportionem tamen minores semper, quamvis *tot & quot* in rigore hìc locū non habeant, utpote quibus significatur tantū numerus certus & determinatus unitatum determinatarū & adæquatè distinctarū. Nec tertiò, cervū non posse assequi testudinem uno milliari ante se tardissimè reptantem; etsi enim eo tempore, quo cervus percurrit primum milliare, testudo pertransierit aliquam partem secundi milliariis, & quo tempore illam percurrit cervus, iterum aliam pertransierit testudo, præcurreret tamen tandem cervus testudinem, quia non percurrit spatium proportionatum motui testudinis, sed priori suo cursui; ad hæc, considerandi non sunt illi motus secundum partes proportionales, quarum æquè multas, etsi minores (si tamen in iis liceat uti hoc termino *æquè*) in se continet uterquè motus, sed secundum aliquotas.

XII. Præter has partes, nequè in continuo permanente, nequè successivo dantur indivisibilia continuativa (sive ea dicantur modalia,

k

sive

sive strictè realia) habentia se loco unionum; partes enim continui sufficienter uniuntur per uniones, quæ & ipsæ sunt in infinitum divisibiles: imò talia indivisibilia unire nequeunt partes divisibiles, cum non possint illis esse intimè præsentia; vel enim erunt præsentia toti parti divisibili in spatio divisibili; sed hoc est proprium rebus spiritualibus: vel in spatio indivisibili; sed tale spatium non datur. Productæ autem fuerunt unionum harum divisibilium aliquæ primitus à solo Deo, & probabiliùs concreatæ cum materia, cujus sunt aliquid, & hæ in nullo sunt subjecto sustentationis vel inhætionis, sed partibus materiæ tanquam terminis intrinsicis adherent. Producentur aliæ ab agentibus naturalibus, dum partes materialium inter se discontinuarum ab iis inter se uniuntur, ut fit in nutritione, & hæ subjectantur in partibus materiæ, quarum sunt uniones; uniones tamen continuativæ quantitatis & formarum materialium subjectantur in partibus subjecti, in quibus subjectantur partes, quantitatis & formarum istarum; partibus verò quantitatis & formarum istarum intrinsicè adherent. Harum unionum divisibilium partes
uniun-

uniuntur inter se seipsis; sunt enim ultima & formalis ratio uniendi. Nequē potest Deus omnes has uniones simul & collectivē sumptas tollere (etsi eas simul possit tollere, tollendo simul omnes partes simul, non successivē) sicut non potest ponere omnes divisiones possibiles in continuo.

XIII. Neq; dantur indivisibilia terminantia, & claudentia quasi ultimò continuum, ne ulterius extendatur, realiter à partibus continui distincta, quæ dicantur superficies vel lineæ: res enim sufficienter concipitur esse, & est terminata se ipsâ cum negatione ulterioris extensionis, nullo alio superaddito, v. g. corpus aliquod est longum quatuor pedes, quia habet quantitatem quatuor pedum, & non majorem. Certè illo positivo indivisibili superaddito sublato, res manebit terminata sicut antea; neq; enim extendetur in infinitum. Similiter non serviunt ista terminantia indivisibilia ad hoc, ut corpus unum ab altero possit tangi; si enim Deus spoliet duos asseres hac superficie indivisibili superaddita, conservetque illorum ubi, adhuc tangent se sicut ante, & palpari poterunt. Non dividitur itaque quantitas in lineam superficiem & corpus, tanquam

k 2

quam

quam partes subjectivas specie inter se à parte rei differentes, sed tantum specie differentes juxta nostrum concipiendi modum; sunt enim puncta, lineæ, superficies fundamentaliter in continuo, formaliter per intellectum, quatenus quantum (quod semper à parte rei est corpus habens trinam dimensionem, longitudinem, latitudinem, profunditatem, realiter à se indistinctam) nunc consideratum secundum unam tantum, nunc secundum duas dimensiones, dicitur linea vel superficies, nunc præcisum ab omni extensione, dicitur punctum, seu carere profunditate latitudine &c. sicut animal formaliter dicitur nec esse rationale, nec irrationale: & sic intelligi potest Arist. admittere indivisibilia non realiter, sed formaliter à rebus distincta, vel certè loqui ex mente vulgi. Quare dum duo continua contigua tangunt se, tangunt se secundum rem, quæ est profunditas; nequè tamen ideo penetrantur; illorum extrema enim sunt simul tantum per juxtapositionem; & tangunt se partes talium corporum divisibiles, non adæquatè & commensurabiliter, sed inadæquatè, qui contactus inadæquatus in eo consistit, quòd licet liceat dicere: hæc pars de-

ter-

terminata, & non major, est tacta, non possit tamen unquam assignari pars, de qua liceat dicere: hæc pars adæquatè & secundùm se totam est tacta, sicut dici nequit: hæc pars est omnium proxima alteri continuo contiguo, cùm quævis pars continui sit in infinitum divisibilis. Eodem modo globus perfectè sphericus tanget planum perfectè planum (quanquam globus ita sphericus, ut eo non possit dari alter magis sphericus, probabiliùs implicet) in parte aliqua divisibili, sed omnino inadæquatè & incommensurabiliter, id est, erit in tangente & tacto assignabilis quidem pars, quæ tangat, & tangatur; de hac tamen non erit verum dicere: hæc tangit, aut tangitur adæquatè.

XIV. Nihilominùs partes in continuo sunt actu & realiter inter se distinctæ, etiam ante divisionem vel designationem; aliàs enim caput & pes in homine erit idem, usquè dum aliquis re vel ratione caput à pedibus dividat: duæ aquæ divisæ in duo vitra sunt actu distinctæ; ergo etiam dum conjunguntur & continuantur in uno vitro; per nullam enim potentiam fieri potest, ut entitates realiter distinctæ fiant una eademquè entitas: è contra

k 3

par-

uniuntur inter se seipsis; sunt enim ultima & formalis ratio uniendi. Nequē potest Deus omnes has uniones simul & collectivē sumptas tollere (etsi eas simul possit tollere, tollendo simul omnes partes simul, non successivē) sicut non potest ponere omnes divisiones possibiles in continuo.

XIII. Neq; dantur indivisibilia terminantia, & claudentia quasi ultimò continuum, ne ulterius extendatur, realiter à partibus continui distincta, quæ dicantur superficies vel linea: res enim sufficienter concipitur esse, & est terminata se ipsâ cum negatione ulterioris extensionis, nullo alio superaddito, v. g. corpus aliquod est longum quatuor pedes, quia habet quantitâ quatuor pedū, & non majorē. Certè illo positivo indivisibili superaddito sublato, res manebit terminata sicut anteq; neq; enim extendetur in infinitum. Similiter non serviunt ista terminantia indivisibilia ad hoc, ut corpus unum ab altero possit tangi; si enim Deus spoliet duos asseres hac superficie indivisibili superaddita, conservetq; illorum ubi, adhuc tangent se sicut ante, & palpari poterunt. Non dividitur itaq; quantitas in lineam superficiem & corpus, tanquam

k 2

quam

terminata, & non major, est tacta, non possit tamen unquam assignari pars, de qua liceat dicere: hæc pars adæquatè & secundùm se totam est tacta, sicut dici nequit: hæc pars est omnium proxima alteri continuo contiguo, cùm quævis pars continui sit in infinitum divisibilis. Eodem modo globus perfectè sphericus tanget planum perfectè planum (quanquam globus ita sphericus, ut eo non possit dari alter magis sphericus, probabiliùs implicet) in parte aliqua divisibili, sed omnino inadæquatè & incommensurabiliter, id est, erit in tangente & tacto assignabilis quidem pars, quæ tangat, & tangatur; de hac tamen non erit verum dicere: hæc tangit, aut tangitur adæquatè.

XIV. Nihilominùs partes in continuo sunt actu & realiter inter se distinctæ, etiam ante divisionem vel designationem; aliàs enim caput & pes in homine erit idem, usquè dum aliquis re vel ratione caput à pedibus dividat: duæ aquæ divisæ in duo vitra sunt actu distinctæ; ergo etiam dum conjunguntur & continuantur in uno vitro; per nullam enim potentiam fieri potest, ut entitates realiter distinctæ fiant una eademquè entitas: è contra

k 3

par-

partes aquæ post divisionem actu distinguuntur, ergo & ante illam; fieri enim nequit, etiam divinitus, ut duo inter se identificata distinguantur postmodum: sic igitur non tantum ea, quæ actu separantur, sed & quæ separari possunt, distinguuntur; quinimò hæ partes uniri non possent, nisi distinguerentur, cum unio essentialiter sit extremorum actu distinctorum unio. Quare dum Arist. ait, in continuo esse partes, non actu, sed potentiâ, vult esse partes tantum potentiâ divisas. Hinc tamen non sequitur esse in continuo partes aliquotas (de quibus manifestum est) aut proportionales actu categorematicè infinitas. Hæ enim partes proportionales nequidem constituunt numerum simpliciter dictum, multò minus infinitum in numero; cum numerus seu multitudo sint plures unitates unione carentes, seu plura discreta, vel saltem, si discreta non sunt, omnia tamè determinata, discernibilia, & adæquatè distincta sint, necesse est: sed tales non sunt istæ partes proportionales, utpote quæ nequidem omnes à mente divina designari aut discerni queunt; & licet secundum se spectatæ sint simul, secundum designatio-

nationem tamen illam & discretionem seu
divisionem partim sunt actu, partim poten-
tiâ, adeoque indifferentes sunt, ut expriman-
tur per mille, vel per centum; neque ut desig-
nabiles habent terminum. Ad hoc ergo, ut
constituant hæ partes infinitum categorema-
ticum, non sufficit, ut sint actu simul & di-
stinctæ, adeoque cognitæ ut distinctæ repræ-
sentent aliquem indeterminatum numerum.

DISSERTATIO XV.

De Loco & Vacuo.

I. **L**OCVS seu spatium imaginarium, in
quo ultimatè est & ubicatur omne
spatium reale, bene explicatur, quòd sit spa-
tium reale purè possibile, quod nobis ima-
ginamur, sive concipimus per modum aëris,
aut similis alicujus corporis, quo rerum
ubicationes metimur, actu existentis se-
cundùm trinam dimensionem extensi, &
in infinitum diffusi. In quo licet involvatur
negatio per *τὸ purè possibile* indicata, quæ ad-
æquatè nunquam tolli potest, cum quocun-
què corpore producto in spatiis imaginariis
restet spatium imaginarium amplius, à plu-
ribus corporibus producibilibus occupan-
dum: quia tamen eam, dum spatium reale

possibile per modum actu existentis apprehendimus, non ita explicitè concipimus, minùs bene per hanc negationem spatium imaginarium explicatur. Nequè tamen etiam hic locus, cum actu sit nihil, est positiva & realis capacitas ad hoc, ut ibi corpus sit præsens, sed potiùs negativa aliqua capacitas, quatenus dicit negationem ubicationis entis possibilis ibi existere. Rem itaque esse in spatio imaginario, est rem habere actualem ubicationem correspondentem, sive de se proximè aptam correspondere ubicationi, quam corpus possibile juxta vel circum illam habere potest. Hinc Deus verè, est minùs propriè, dicitur esse in spatiis imaginariis, quatenus per immensitatem suam est ibi, ubi de facto quidem nullius corporis ubicatio illius ubicationi correspondet, sed ubi illius immensitati plures & plures in infinitum corporum extensorum ubicationes correspondere possunt: adeoque est in nihilo, non ut contentum in continente, sed ut correspondens per suam immensitatē alicui possibili alicujus possibilis, non existentis, ubicationi. Et Deum sic esse extra cælos, patet ex eo: si mundus hic ex suo

suo loco imaginario moveretur ad aliud spatium imaginarium, utiq̄ue erit illi & ibi præsens Deus, sed non erit ibi productus, nec illuc se movit, ergo ante ibi fuit. Quare SS. Patres dicentes; Deum, antequàm mundus fieret, non fuisse alibi, quàm in se ipso; nihil volunt aliud, quàm eum non eguisse corporali loco, seu nullius creaturæ ubicationem illius imensitati coëxstitisse. Unde tamen non benedicetur Deus existere extra cælos in templis, equis, hominibus possibilibus existere in spatiis imaginariis; hæc enim non per modum templorum, equorum &c. possibiliū apprehendimus; nequē ibi ulla templa, equos &c. cōcipimus, sed spatia imaginaria imaginamur nobis per modum expansionis immensæ, abstrahendo ab omni materia. Nequē per hanc Dei immensitatem sic per spatia imaginaria diffusam bene explicantur hæc spatia (etsi de cætero res corporea eo ipso, quò existit in spatiis imaginariis, coëxtendatur immensitati divinæ, sitquē ipsi præsens Deus sine ulla sui mutatione) dum enim de spatio imaginario audimus, non tam explicitè apprehendimus immensitatem Dei, quàm corpus aliquod per modum aëris extra cælos diffusi.

k 5

II. Lo-

II. Locus realis extrinsecus est *superficies prima & immobilis corporis ambientis*, id est, extrema tantum corporis pars proximè cōtingens locatum (malè enim diceretur, totus aëri esse locus unius muscæ) quæ est ultima, quatenus corpus continens versùs locatum ultimò terminat, & prima, quatenus est primum extra locatum, quod contingit: quæ dicitur immobilis à sua entitate & simul ab ubicatione sua; licet enim sæpe moveatur superficies hæc, ut patet in aëre & aqua, simul tamen cum sua ubicatione permanente eadem moveri & aliò transferri nequit. Hinc turris stans immota toties physicè mutat suam locum extrinsecum reale, quoties commoto per ventum aëre, alia & alia aëris superficies fit turri contigua. Similiter toties vinum mutat locum suum quoties vas vino etiam immoto de loco in locum transfertur; etsi enim eadem superficies concava vasis maneat vino contigua, ipsa tamen mota mutat suam ubicationem, adeoq; non manet superficies hæc cum sua ubicatione, quod aggregatum est locus extrinsecus vini. Dicitur denique *superficies corporis ambientis*: id est, rei quantitativè extensæ tangentis locatum contactu quantitativo (hinc nequè An-

gelus

gelus existens in hac schola, nequè Petrus existens in schola, quam annihilato aëre occuparet Angelus, est propriè in loco reali Aristotelico) adeoque à locato distincta. Hinc pars ejusdem continui sequens hanc superficiem non est ejus locus. Opus tamen non est, ut hoc corpus ambiens locatum sit aliquod continuum, sic locus navis partim est aqua, partim aër, qui aquæ tantùm est contiguus.

III. Locus intrinsecus seu ubicatio & ratio formalis, per quam constituitur res in ratione existentis hìc potiùs, quàm alibi, est forma accidentalis, modalis (sufficit enim hæc distinctio realis minor inter ubicationem & rem ubicatam ad difficultates hac in parte occurrentes explicandas) rei locatæ & loco, in quo hæc locatur, superaddita; quam in rem vide rationes supra pro unione ab extremis distincta propositas. Unde dum Arist. inquit, per motum localem mobile non mutari intrinsecè (quanquam bene adverterint quidam, illum non dicere: *non mutari*: sed *minimè mutari*: eò quòd ubicatio ex omnibus sit minima & vix notabilis mutatio) sic est intelligendus, quòd non mutetur per ubicationem de novo

k. 6

acqui-

acquisitam mutatione corruptiva aut magis perfectiva, cum ubicationes sint in perfectione sibi similes. Neque dicas primò: entitas Petri est in loco, ergo per illam formaliter Petrus est in loco: nam entitas Petri est illud, quòd *ut quod* est in loco, non tamen est illud, per quòd *ut quo* Petrus est in loco. Neque secundò: eò ipso, quòd intelligatur motus Petri ad spatium A, & negatio ulterioris motus, nequit non intelligi, esse in loco A, ergo per ea est in loco: nam per ea est causaliter, non formaliter in loco; mala autem est argumentatio: causâ actu causante necessario habetur effectus, ergo hic nihil est distinctum à causa. Neque tertio: Petrus per suam entitatem coëxistentem huic aëri, secluso quocunquè alio sufficienter intelligitur esse hic: nam negatur suppositum; nempe quòd Petrus per solam suam entitatem huic aëri possit coëxistere. Quibus non obstat, quòd sine superaddito coëxistat suæ ubicationi, cum hæc sit ipsa actualis ejus determinatio ad esse hic.

IV. Independens quidem est ubicatio ab omni loco reali, cum mutato, imò annihilato omni loco reali, possit remanere eadem

nume-

numero, explicari nihilominus debet ad certas spatii imaginarii partes. Similiter non est relatio distantiae vel indistantiae, cum maneat invariata ubicatio, dum Petrus mihi manenti immoto appropinquat; nihilominus hanc fundat relationem, quae est plurium ubicationum similium vel dissimilium co-existentia.

V. Emanatur ubicatio à re, dum hæc primò producitur (ut autem hæc potius, quàm alia, in hoc potius, quàm alio spatio emanatur, determinat Deus, vel subjectum, è quo forma educitur, in hoc spatio ubicatum) de cætero producitur per motum localem, vel à potentia loco motiva, vel ab impetu, vel à naturali gravitate vel levitate. Estq; res hïc V. G. in spatio A pro eodem instante, quo producit suum ubi hïc, sed per idem ubi, quod producit hïc; opus enim non est, ut antequàm intelligatur producere suum ubi hïc, intelligatur esse hïc, sicut opus est, ut prius intelligatur res ubicata hïc, quàm intelligatur producere alium effectum ab ubi suo distinctum hïc; pro isto enim priori, quo mobile est prius naturâ sua ubicatione, nec intelligitur esse hïc, nec alibi, sed tantum

k 7

existens

existens & potens producere suum ubi : neq[ue] opus est, ut causa effectiva ubicationis in spatio A prius intelligatur applicata ad spatium A; sed sufficit intelligi ut motam per ubicationem fluentem ad locum A; hoc ipso enim, quod detur hic motus & negatio causae impediens, intelligitur dari in actu primo proximo sufficiens determinatio, ut producat ubi permanens in spatio A.

VI. Probabilius est, singula quae sunt in composito V. G. materiam, formam, unionem, subsistentiam, albedinem, aliaque accidentia (excepta actione productiva ubicationis, quae videtur ubicari per ipsam ubicationem, quam producit) habere singulas ubicationes sibi proprias. Unde licet materia caeteraque accidentia materialia sint in loco divisibili per quantitatem, tanquam per id, quod talis ubicationis est exigituum, non sunt tamen per quantitatem in loco divisibili tanquam per rationem immediate ea constituentem in tali loco; eò ipso enim, quod albedo unita sit quantitati, exigit esse in loco divisibili, non tamen per eam in actu secundo formaliter constituitur in tali loco.

VII, Ubi-

VII. Ubicatio substantiæ spiritualis permanens est indivisibilis ; sicut enim formæ materiales sunt divisibiles, quia educuntur ex subjecto divisibili, sic & forma, quæ educitur ex subjecto indivisibili (qualis est ubicatio V. G. Angeli) erit indivisibilis ; magisq; debet hic modus proportionari subjecto v. g. Angelo, cui est intrinsecus, quàm alteri alicui, nempe spatio divisibili, in ordine ad quod tantum explicatur. Imò dato ubicationem dicere verum ordinem ad spatium divisibile, hinc tamen non magis inferetur ejus divisibilitas, quàm divisibilitas animæ rationalis ex respectu, quem ea dicit ad corpus extensum, vel etiam quem dicit ad suam ubicationem divisibilem juxta Adversarios. Erit itaq; ubicatio Angeli sicut & ipse Angelus tota in toto spatio, & tota in qualibet parte spatii: & licet ubicatio manens eadem non possit transferri de loco in locum, aut defigere rem in diversis locis adæquatis, potest tamen eadem determinare rem ad existendum secundum se totam in pluribus partibus spatii & loci adæquati. Unde anima per abscissionem pedis desinit illi esse præsens per eandem præsentiam, quâ fuerat illi ante præsens (ubicatio
enim

enim indivisibilis semper tota mutatur, quoties subjectum ejus recedit ab aliqua parte spatii ante occupatâ) non verò per aliam.

VIII. Duo corpora quantitativè extensâ (contrarium est de rebus aliis materialibus, formâ V. G. materiali substantiali, formis accidentalibus, albedine, dulcedine &c. quæ cum materia & invicem existunt in eodem loco) naturaliter existere non possunt in eodem loco, ut patet experientiâ. Ratio hujus à priori desumenda est à natura quantitatis, quæ etsi activè non expellat aliud corpus quântum ex eodem secum loco, exigit tamen, ut aliud corpus non sit secum in eodem loco, sicut forma una substântialis cum altera incôpossibilis illius exigit expulsionem ex subjecto. Potest tamen id fieri supernaturaliter; cum actualis extensio quantitativa & impenetratio non sit de essentia quantitatis, aut ejus effectus formalis primarius (quæ & qui est exigentia hujus impenetrationis) sed tantum secundarius, & connaturalis physica ejus proprietas, ab ea separabilis. Sic olim corpus Christi penetratum fuit cum januis clausis. Sic de facto, cum Christi corpus totum indivisibiliter sit in qualibet hostiæ parte,
ejus

ejus partes necessariò sunt penetratæ in eodem loco ; Ex duobus tamen corporibus miraculosè penetratis, alterum non poterit se naturaliter movere , aliàs pars non penetrata cum alia, naturaliter illam penetraret, V.G. pectus caput, dum per illam transiret.

IX. Potest quoq; divinitus idem corpus esse simul in pluribus locis adæquatis (in pluribus enim locis inadæquatis naturaliter esse posse rē eandē , patet in anima rationali, quæ simul tota est in pede, & tota in capite) circumscriptivè. Potest enim idem corpus esse in uno loco circumscriptivè , uti corpus Christi est in cælis, & simul in locis aliis definitivè, qualiter corpus Christi est in Eucharistia ; ergo faciliùs poterit esse simul in pluribus locis circumscriptivè ; cùm minùs repugnet, poni in eodem subjecto duplicem formam naturalem, quales sunt duo calores respectu ignis, duæ ubicationes circumscriptivæ respectu corporis , quàm unã naturalem, & alteram non talem, qualis est ubicatio definitiva respectu corporis. Præterea circumscribi corpus à loco, est ita esse in loco, ut totum corpus toti spatio, & partes ejus partibus spatii correspondeant , & est ita ambiri seu claudi

claudi à loco, ut nulla pars locati sit, quæ non ambiatur, sive est esse ita in loco, ut nō sit extra illum vi ejusdem ubicationis, vel etiam ut non sit extra illum negativè, id est, ut non sit non in hoc loco : quæ omnia adhuc manent dum corpus vi alterius ubicationis circūscriptivæ est positivè simul extra hunc locum, dum totū simul toti alteri loco adæquato, & singulæ partes singulis alterius loci partibus comensuratur, & sic ab altero loco simul alibi ambiuntur omnes; aliàs nec corpus Christi in cælis retinebit ubicationem suam circūscriptivam, dū simul est præsens in hostia definitivè, id est, ita, ut totū sit in tota hostia, & totum in singulis ejus partibus. Ulteriùs, erit tale corpus æquale duobus locis seorsim sumptis, non simul sumptis, & hinc nō occupabit majorē locum, quàm sit ipsum. Distabit à me vi unius ubicationis, & non distabit à me, sed vi alterius ubicationis. Non tamen distabit à se, sicut nec divisum & discontinuum erit à se; divisio enim, discontinuitas & distantia important distinctionem inter ea, inter quæ est distantia &c. sicut nec propter eandem rationem idem corpus habens in eodem loco duas ubicationes, dice-

tur secùm penetratum , aut idem homo habens duas albedines vel unam albedinem & unam nigredinem, dicetur sibi similis vel dissimilis. Vel die , tale corpus distaturum à se localiter accidentaliter & extrinsecè, non verò entitativè , substantialiter & intrinsecè, quod idem est, ac dicere, eandem entitatem corporis habere duo accidentia à se invicem distantia ac divisa. Neq; dicetur immensum ex eo , quòd posset esse in locis syncategorematicè infinitis, id est, in pluribus & pluribus per plures & plures ubicationes sibi superadditas, quia hac ratione nō erit adhuc ubiqùe, neqùe immensum, sicut Deus est immensus per essentiam suam. Neq; sequitur absolutè, tale corpus naturaliter posse moveri duobus motibus, etiam contrariis, utpote quod utrobique constitutum in aëre, si grave est, descendet deorsum, vel etiã, si animal est, poterit in uno loco ambulare versùs orientem, in altero versùs occidentem : nam cum nō debeatur illi duplex præsentia, Deus non concurret ad utrumquè motum ; descendet autem in eo loco, ubi est connaturaliter, vel ubi est vicinius centro , vel determinabit id Deus. Quanquã in cōtrario quoq; nihil sit incōveniens ;

niens ;

niens ; dici enim potest, quòd ex suppositione & continuatione miraculi , quo antecederet positum est in duobus locis , jam debeat corpori concursus ad duplicem motum, & duplex ubi per eum acquisitum, postquam sic corpus replicatum moveri etiam motibus localibus contrariis. Denique id hinc observandum est, quòd pleraque, quæ contra hanc doctrinam objici possunt , oppugnant quoque præsentiam Christi circumscriptivam cælestem , & definitivam sacramentalem.

X. Replicatur autem corpus seu ponitur in diversis locis V. G. Romæ & Coloniae, per solam productionem harum ubicationum, Coloniensis & Romanæ. Per formam enim , per quam res ponitur simpliciter in uno loco , per eandem duplicatam & diversam ponitur in pluribus locis , sed per unam ubicationem res formaliter ponitur in uno loco : ergo, Opus itaque non est ad replicationem corporis actione terminata ad substantiam corporis, per quam illa reproducat in secundo loco, sicut ad hoc, ut res existens sub uno cõtrario, etiam existat sub alio, opus non est reproductione subjecti, sed sufficit

ficit sola coëductio alterius contrarii ex eo-
 dem subjecto : & sicut , ut anima rationalis
 existens in corpore , incipiat dein existere in
 parte corporis de novo per nutritionem ac-
 quisita, non requiritur, ut reproducatur ani-
 ma in ista parte, sic nec, ut corpus existens
 Coloniae, incipiat quoq; existere Romae, re-
 quiratur reproductio (quæ ne quidem potest
 cōstituere se solâ formaliter rē in loco, utpote
 quæ uti, & prima rei productio, indifferens
 est ad hunc vel illum locum, adeoq; si repro-
 ducatur corpus, quod fieri potest, ad ponen-
 dum illud in secundo loco , opus insuper est
 rei ubicatione secunda) sed sufficit ex eo-
 dem corpore educi secundam ubicationem.
 Educitur autem illa V.G. ubicatio Romana
 è corpore, non ut existente Coloniae, sed è
 corpore, quod existit Coloniae, & per hoc
 ubi secundum constituitur Romae præsens :
 uti calor non producitur è ligno ut frigido,
 sed quod frigidum est, & per calorem consti-
 tuitur calidum. Cui non obstat, quòd unio
 non educatur nisi è subjecto ut existente hìc
 apud alterum extremum ; supponit enim il-
 la intimam extremorum præsentiam , &
 ipsa non est formalis præsentia unius extremi
 cum

cum altero. Quamquam & hoc ipsum principium : rem prius naturâ poni hîc , quam uniatur alteri , incertum sit ; licet enim ante actionem unitivam animæ cum corpore supponatur actio creativa animæ , hæc tamen, cum ad solam substantiam animæ terminetur, non ponit formaliter animam hîc, ubi est corpus : adeoq; prius videtur anima intelligi unita corpori , & à tali dein unione determinari ad producendam ubicationem correspondentem loco & ubicationi sui corporis, sicq; requiri mutua uniendorum præsentia, nō naturâ antecedēs, sed cōcomitans, vel naturâ subsequēs unionem. Ex eo tamen, quod ubi Romanum sit in corpore, quod existit Coloniae, non sequitur, ubi Romanum fore Coloniae; ubi enim illud Romanum nō est in omni loco, ubi est subjectum, sed in eo, ubi est corpus vi ubicationis Romanae. Sic ergo cōversio Eucharistica nō dicetur substantialis vel transubstātiatio, quod corpus Christi præcisè per eam reproducatur, sed quia vi illius substantia nova, nempe corpus Christi, succedat veteri, nimirum substantiæ panis in substando iisdem accidentibus per veram unionem, præter quam conversionem in super

opus

opus est actione productiva harum præsentiarum definitivarum corporis Christi. Nequè ad acquirendū ulterius ubi, semper opus est motu locali; ut patet in exemplo animæ rationalis paulò ante allato. Neq; cōversione unius rei in aliam; dum enim corpus manens Coloniae, incipit simul existere Romæ, nihil perit, sed ad summū unitur quid isti corpori nempe ubicatio Romana, vi cuius Colonien- sis ubicatio connaturaliter deberet perire.

XI. Accidentia certo loco ita affixa, ut implicet ea defigi alibi, qualia sunt ubicatio, motus localis, sessio, comestio, cantatio &c. utpote certam certo loco affixam involventia situationem & organorum motum, implicat re replicatâ replicari, sive poni alibi: sic Petrus sedere non potest Romæ sessione Colonien- si, nec cantare eodem cantu Romæ, quo cantat Coloniae. Nihilominus possunt hæc accidētia, uti & alia à loco absoluta, quæ ubicantur & uniuntur cum re in uno tantum loco, simpliciter dici de ea, etiā in altero loco (non tamen de ea ut existente in alio loco) in quo ei non uniuntur: sic Petrus ambulans, calefiens, habensquè sibi calorem unitum Romæ, etsi non ambulet, calefiat, aut habeat
sibi

sibi calorem unitum Coloniae, id est, etsi ista
 ambulatio, calefactio, calor non existat Co-
 loniae, dicitur tamen absolute Petrus existens
 Coloniae ambulare, calefieri &c. sed non
 ambulare, calefieri &c. Coloniae, ut enim
 negetur calefactio absolute de Petro, sive
 existat negatio calefactionis Petri, calefactio
 in nullo loco debet ei competere vel uniri.
 Accidentia vero à loco absoluta aliave, sive
 merè contingenter, sive necessariò, sive unio-
 ne substantiali, sive accidentali unita rei, ut
 sunt calor, intellectio, visio, anima corpori,
 digitus manui &c. neq; repugnat replicatâ re
 replicari, neq; repugnat non replicari: con-
 naturaliter tamen seu necessitate quadam na-
 turali replicantur & ipsa, re replicatâ, conve-
 niuntq; rei, etiam ut existenti in secundo lo-
 co; videtur enim sic exigere unio horum ac-
 cidentium cum re, ut ea uniantur illi utrobi-
 què: uti sanguis Christi, qui vi verborum
 praesens non est sub speciebus panis, propter
 connexionem, quam habet cum corpore
 Christi in caelis, posito corpore Christi sub
 speciebus panis, pariter fit ibi praesens per cõ-
 comitantiam. Neq; in eo est quid absurdi,
 quòd unio hæc, supposito uno miraculo,
 dum

dum exigit re replicatâ replicari accidentia ,
 exigat pariter sui ipsius replicationem. Sic
 itaque calebit Petrus connaturaliter eodem
 calore Romæ, quo calet Colonæ, replicato
 solo calore & actione illius productiva (non
 enim adeo certum est , posse rem existentem
 in pluribus locis conservari vel produci uni-
 ca actione coëxistente rei tantum in uno lo-
 co) etsi agens calefactivum illi tantum præ-
 sens sit Colonæ (quam actionem aliqui
 negant , dici posse actionem indistans, eò
 quòd licet agens sit in aliquo loco , ubi pas-
 sum & actio non est, sit tamen etiam in loco,
 ubi est idem passum & actio) Petrus videbit
 eâdem visione eadem Romæ, quâ & quæ vi-
 det Colonæ ; dependet enim hæc visio ab
 objecto, non ubiq; præsentem videnti, sed ali-
 cubi tantum illi præsete: imò hæc visio cõna-
 turaliter exercebitur in utroque loco: emana-
 bit ipsa secundam suam ubicationem, si elicia-
 tur ab habete in utroq; loco easdem species,
 vel certè Deus secundam ejus producer ubi-
 cationem. Item etsi Petrus cantatione Colo-
 niensi cantare nequeat Romæ, audiet tamen
 eandem eâdem auditione Romæ, quâ audit
 illam Colonæ. Neque his obstat , quòd
 anima

anima

anima rationalis existens in capite habeat unionem (quæ est forma à loco absoluta, cum materia capitis, quam tamen non habet in pede; nam hinc aliud nihil sequitur, quam quòd res existens in duobus locis inadæquatis non habeat utrobiquè easdem formas; eo ipso enim, quòd unus sit locus inadæquatus, denotat locum alium inadæquatum, in quo res ea habet, quæ non habet in altero.

XII. Quæcunq; autem accidentia positiva à loco absoluta non possunt naturaliter vel supernaturaliter convenire rei eidem in uno loco constitutæ, sive propter subjecti incapacitatem, sive propter ipsorum accidentiù naturalem incõpossibilitatem, illorum quòque combinatio simili lege repugnat in corpore replicato. Neq; enim per diversas illas ubicationes tollitur ista accidentium contrarietas, nequè augetur virtus passiva aut activa rei. Hinc Petrus ne quidem divinitus poterit in uno loco assentiri, in altero dissentiri eidem objecto propter idem motivum, (etsi queat in uno assentiri, in altero non assentiri) in uno odisse Deum, in altero amare Deum, nec poterit in uno loco esse summè calidus, in altero summè frigidus, ideoquè si illi in uno
ignis

ignis, in altero applicaretur nix, nix quidem non ageret in ignem vel contra, utpote quæ igni præsens non est, quia tamen agerent in idem subjectum, ita attemperabitur & debilitabitur utriusq; activitas, ac si simul eidem in uno loco applicarentur. Poterit tamen in uno sedere, in altero ambulare (non tamen sibi procedere obviam, utpote quod dicit distinctionem) hi enim effectus & motus contrarii, quia à loco absoluti non sunt, competere possunt rei uni existenti in pluribus locis.

XIII. Acquirit quoq; corpus replicatum, quia vi plurium ubicationum pluribus locis, adeoq; pluribus passis vel agentibus approximat, quandam quasi potentiam tam activam, quàm passivam extrinsecam majorem respectu effectuum localium, quàm habeat existens in uno loco; sic Petrus poterit plura videre, ignis replicatus plura calefacere, quæ eadem videret Petrus, calefaceret ignis, si existens in uno loco haberet sibi eadem eodem modo præsentia. Non acquirat tamen potetiam majorem intrinsecam quò ad effectus à loco absolutos; cum potetia rei activa & passiva tota præsupponatur ad

ubicationem. Hinc si quis uno loco totis viribus disputaret, alibi ad alia gerenda negotia esset ineptus. Hinc materia prima (si id in uno loco non potest) in pluribus existens locis, non potest capax sustentare plures formas substantiales &c.

XIV. Jam verò accidente replicato rei replicatæ pereunte in uno loco, perit quoque idem in alio loco, cum enim desitio sit negatio existentiae, ut hæc dicatur esse absolutè, existentia debet nullibi esse. Hinc si abscinderetur Petro hinc Coloniae brachium, sive corrumpere unio inter ejus brachium & reliquum corpus, periret ea quoque Romæ. Aliud tamen est, accidens corrumpi in uno loco; aliud, unam ejus ubicationem destrui. An autem, si ubicationis unionis inter corpus & animam destrueretur in uno loco, homo dici deberet in isto loco mortuus; quæstio est de nomine, meliùs non esset dicendus mortuus, cum negatio hujus unionis absolutè non sit in rerum natura.

XV. Ne quidem divinitus potest res existere absq; omni ubicatione, sive extra omne spatium reale & imaginarium; implicat enim
crea-

creatura, cui non sit intimè præsens Deus, adeoq; quæ non sit intimè præsens Deo, sed huic non potest esse ubiq; præsens, ergo alibi. Similiter hominis existentis & nullibi existentis anima erit unita corpori, adeoquè illi intimè præsens, & consequenter ibi, ubi est corpus. Ad hæc, talis creatura erit, & non erit, quia ejus negatio erit ubiq; : Non poterit itaq; Deus destruere omnem, etiam indeterminatam Petri ubicationem, aut impedire omnem actionem omnis indeterminatè ubicationis productivam pro eo instante, quo Petrus ubicatione prior est naturâ. Petro relicto in rerum natura, sicut nec ejus cōservatione omnem, quæ similiter est modus solùm accidentalis, potest destruere. Nequè tamen hinc sequitur, hoc accidens fore de intrinseco conceptu, vel de essentia Petri; plura enim sunt, sine quibus res esse non potest V. G. res esse non potest, quin sit alba, vel non alba, & tamen nequè albedo, nequè ejus negatio est de essentia rei, similiter sunt multa, quibus sublatis, res consecutivè perit, & tamen non sunt de conceptu rei essentiali. Præterea illa, sine quibus determinatè res esse potest, sicut esse potest & sine

hac , & sine ista , five sine omni determinatè accepta ubicatione , non sunt de essentia rei.

XVI. VACUUM est *locus carens corpore* id est, locus realis, actualis, extrinsecus, seu superficies actualis corporis continentis, saltem aptitudine : adeoq; non est ipsum inane intra locum extrinsecum quasi contentum, sed præter hoc in obliquo importatum , est ipsa superficies corporis ambientis illud inane. Quale quid non est spatium imaginarium , utpote quod actu est purum nihil , & datur suo modo, etsi nulla reali circumseribatur superficie. Vacuum Deus facere potest, si V.G. relictâ solâ concavâ cæli superficie annihilaret omnia intra illam contenta ; in quo vacuo naturaliter fieri posset motus, tam alterationis (modò passum sit agenti contiguum) quàm localis V. G. brachium extentum huc illucquè gyrari. Naturaliter tamen, saltem ab agentibus sublunaribus, effici nequit ; hic enim contiguitatis amor ab auctore naturæ ad servandum imperturbatum universi ordinem videtur inditus corporibus naturalibus , quæ mundum veluti corpus quoddam componunt, ut tantopere hor-

horreant vacuum, quod esset veluti huic corpori inflatum vulnus, ut ad hoc evitandum etiam contra nativam gravitatem ascendant aut contra levitatem descendant. Unde etiam hi motus, qui rei spectatæ, quatenus est hæc privata res, sunt violenti, dici possent non esse eidem spectatæ, ut est pars universi, inditumquæ sibi habet hunc contiguitatis amorem, violenti; causati item à vi quadam attractiva & quasi magnetica aliorum corporum, quâ unumquodquæ corpus ad servandam universi unitatem attrahit aliud. Verùm naturalis vacui impossibilitas potiùs experientiâ, quàm ratione solida probatur. Nihilominùs videtur saltem Angelus per se posse efficere vacuum; quidni enim ille posset omnem aërem ex fistula extrahere, & ex altera parte simul impedire, ne novus ingrediatur? quamvis ex suppositione decreti divini de non concurrento ad similes universi turbationes, id non posset.

* * *
* *

I 4

DIS-

DISSERTATIO XVI.

De Duratione & Tempore.

I. **D**URATIONIS seu perseverantia rei in existendo & continuatio essendi (adeoque in rigore sumpta, supponens primum esse seu instans rei, quo incipit esse, & inchoative durat) non est ipsa rei entitas & tempus extrinsecum, cui illa coexistit; sed forma iis superaddita, defigens rem in hoc vel illo tempore extrinseco, reali vel imaginario; potest enim existere entitas Petri & hodierna dies, & tamen non existere duratio Petri hodierna, seu Petrus durare hodie. Dumque Petrus à Deo petit durare cras, non petit suam existentiam, neque existentiam diei crastinae; similiter dum Deus vult vel videt, Petrum coexistere crastinae diei, vult utique aliquid distinctum ab existentia Petri & existentiam crastinae diei; ideoque eo ipso, quod existat Petrus, & existat dies hodierna, non coexistit Petrus diei hodiernae, nisi tamen existat accipiatur cum statu verbi, consignificando tempus praesens, quo profertur propositio haec; verum tunc involvit

volvit ista coëxistentia quid superadditum, & poni nequit ista existentiarum simultas absq; superaddita iis duratione. Hinc tamen non sequitur, etiam rem durantem coëxistere suæ durationi, aut unam durationem alteri per aliquod tertium iis superadditum, cum duratio, utpote determinatio rei ad certum tempus, sit ipsa certo tempori affixa, hinc licet à Petro sit distincta ejus duratio crastina, non potest tamen Deus eam producere hodie. Qualiter, quia etiam Deus indifferens non est ad coëxistendum huic aut illi tempori, sed necessario omni tempori præsens est, durat quoq; per suam entitatem; licetq; hodie non daret cras, sive non coëxistat diei crastinæ, quæ hodie nondum est, habet tamen hodie totum id, à quo determinatur ad existendum cras & semper. Et qualiter è contra quia V. G. turris per suam entitatem præcisè intrinsicè immutatam non correspondet præterlabenti tempori, sicut in medio fluminis locata per ubicationem permanentem sibi superadditam immutatam, utpote correspondentem eodem spatio imaginario, sufficienter correspondet partibus præterlabentis aquæ, & determinata est, ad fundandam vel

terminandam relationem distantiae vel ipsius distantiae inter se & partes aquae, acquirere^{ubi} ubi-
 cationes magis vel minus distantes; coexistit
 fluenti tempori non nisi per durationem sibi
 superadditam fluentem. E contra ex dictis
 sequitur quidem, relationem prædicamenta-
 lem, ad quam requiritur extremorum co-
 existentia actualis, esse quid distinctum à
 fundamento termino & ratione fundandi
 secundum se spectatis; verum ubi hæc
 quaestio tractatur, tantum in controver-
 sia est, num sit quid ab his tribus sibi co-
 existentibus, seu simul durantibus distin-
 ctum.

II. Verisimilius est, durationem non di-
 stingui à conservatione rei; utriusque enim
 idem est conceptus & effectus formalis, ni-
 mirum esse permanentiam *ut quo* rei in esse
 (ipsa enim res est permanentia *ut quod*, si-
 ve id, quod permanet in esse) tollere indif-
 ferentiam rei, & determinare illam ad per-
 manendum in esse pro hoc vel illo tem-
 pore: Adeoque hoc ipso res determinata
 est ad durandum hoc tempore, quod
 conservetur hac numero conservatione.
 Hinc prius non est, rem esse aut produci,
 quam

quàm rem esse aut conservari (intellige con-
 servatione inchoativa) in hoc tempore ; ni-
 si prioritate aliqua logica, quatenus bene di-
 co : res est in hoc tempore , ergo est , non
 vice versa , res est , ergo est in hoc tempore.
 Hinc quoque motus, qui cum sua duratione
 identificatur, idem nequit esse tardior & ve-
 locior ; velocitas enim & tardior^{tas} non sunt
 accidentia physica motus in particulari,
 sed logica motus in communi, sicut ratio-
 nale est accidens logicum respectu animalis
 in communi.

III. Duratio rerum creatarum, tam per-
 manentium, quàm successivarum est fluens,
 seu habens partes post partes. Si enim du-
 ratio Petri , quâ hic durat 50. annis , est
 tota simul hodie , ergo Petrus hodie du-
 rat, seu coëxistit 50. annis ; hæc enim est
 denominatio & effectus formalis hujus
 formæ seu durationis ; & consequenter si
 Petrus habeat hodie simul rationem for-
 malem durandi 50. annis , intra 50. an-
 nos à Deo erit inannihilabilis ab intrin-
 seco , quod perfectissimo Dei in creatu-
 ras suas Dominio repugnat. Implicat itaq;
 rem , quæ non durat essentialiter , sine
 16 muta-

mutatione intrinseca, sive per durationem permanentem coexistere diversis temporibus. Cui non obstat, rem per eandem ubicationem permanentem coexistere praterlabenti aquæ, quia talis res semper perseverat in eodem spatio, non autem in eodem tempore reali vel imaginario. Nequæ quod Angelus per ubicationem indivisibilem coexistat spatio divisibili; hoc enim non repugnat Dei in creaturas dominio sicut alterum, & sufficienter adhuc determinatur Angelus hac ratione ad existendum in eodem spatio.

IV. Duratio rerum permanentium, pro ut abstrahit à creata & increata, alia est aternitas, (seu duratio increata Dei, quam bene definit Boëtius, quod sit *interminabilis* (intellige ab intrinseco) *vita, tota simul & perfecta possessio*: adeoque non mensurabilis à differentiis nostri temporis; nō enim, ut Plato inquit: *erat & erit, quæ sunt segmenta nati temporis, rectè aternæ substantiæ assignamus*: sed est veluti unum, nunc stans & instans perpetuum juxta illud, quod ipse inquit in Exodo: *ego sum, qui sum*: cui fixo & immobili coexistent omnia nostrorum temporum sæcula

sæcula præterlabentia, ideoquæ virtualiter
 divisibile, & consequenter tale, ut in eo ve-
 rificari possint contradictoriæ. Alia dicitur
 ævum, & est duratio rei creatæ permanen-
 tis, ex natura sua indefectibilis, potentis ta-
 men absolutè à Deo destrui. Alia modus æ-
 vi, & est duratio rei permanentis naturâ suâ
 defectibilis. Alia instans angelicum, & est
 mora vel duratio unius operationis angelicæ,
 vel plurium compossibilium & subordina-
 tarum, quo ad terminum permanentium
 quidem, ex natura tamen sua defectibilium;
 cui tunc censetur succedere aliud instans an-
 gelicum, quando inchoatur operatio alia,
 vel cum priori incompossibilis, vel illi non
 subordinata.

V. *TEMPVS* juxta Arist. est *numerus &*
mensura motus secundum prius & posterius:
 id est, est duratio motus, seu potius numerus
 & multitudo partium durationis motus,
 quatenus apta est mensurare rerum aliarum,
 tam permanentium, quàm successivarum
 durationes. Unde licet cujuscunquæ creatu-
 ræ duratio, utpote quid successivum, & quod
 respectu aliarum rerum habere potest ratio-
 nem mensuræ, dici possit quodammodò

tempus; sola tamen duratio motus rei fluentis (qualis sunt productiones continuatione ubicationum aliarum & aliarum post alias & alias) utpote cujus partes fluentes magis notantur & numerari possunt, magis propriè dicitur tempus. Et quidem propriissimè sola duratio motus cælestis; huic enim conditiones ad optimam mensuram requisitæ conveniunt, cum sit omnium notissima, omnibus communis, invariabilis & constans, à Deo ad hoc ordinata juxta illud Gen. *fecit luminaria, ut essent in signa & tempora, dies & annos &c.* Unde licet hujus solaris circumvolutionis & motuum cælestium duratio respectu ipsiusmet motus per partes sibi succedentes continuati sit tempus illius intrinsecum, sitque ipsa in tempore alio imaginario, aut etiam mensurari possit juxta motum rerum aliarum, adeoque sit in tempore reali particulari alio, non sequitur, illam non esse tempus reale universale aliarum durationum. Arist. verò contrarium docere visus, dum inquit, constare tempus non esse motum, sic est intelligendus, quòd motus, quatenus est motus seu actus entis in
potera-

potentia &c. non sit tempus. Et ex his quoque patet, tempus non esse ens rationis; quamvis enim ab intellectu motus cælestis constituatur in ratione mensuræ actu mensurantis, non tamen constituitur in ratione mensuræ aptitudinalis, sicut ab eo non constituitur in ratione durationis successivæ rei successivæ. Et hoc vult Arist. docens impossibile fore tempus, si anima esset impossibilis. Neque huic realitati temporis obstat, quod nulla determinata pars temporis sit præsens præsentia permanente; sufficit enim partes illius aliquando præsentis esse, fuisse vel fore præsentia fluente, fuisseque aliquando in facto esse fluente, continuarique inter se unionibus fluentibus in infinitum, uti & ipsæ partes, divisibilibus.

VI. Tempus imaginarium est duratio possibilis alicujus motus, quem imaginamur nobis veluti actu extendi in infinitum, seu continuari semper, & æquabili fluxu & ordine partium suarum defluere in, vel potius juxta æternitatem divinam. Atque hinc rem esse in tempore imaginario, est rem habere actu durationem intrinsicam correspondentem illi durationi, quam
talis

talís motus habet inesse possibili. Qualem durationem, cum Deus de facto habeat, habueritque semper, bene dicitur esse & fuisse in tempore imaginario.

VII. Res omnes tam permanentes, quam successivæ, tam corporeæ, quam spirituales, propriè incipiunt intrinsecè seu per primum sui esse (quæ inceptio per primum esse sic explicatur: nunc res est, quæ immediatè ante non erat) & non extrinsecè sive per ultimum sui non esse (quæ inceptio sic explicatur: res, quæ nunc non est, immediatè post erit) res enim dici debet incipere, quando verè est, & quando ex futura fit præsens, sed pro isto instante extrinsecò necdum verè est, & non magis in illo instante existere incipit, quam ante centum annos; è contra desinunt res omnes, non intrinsecè seu per ultimum sui esse (quæ desinitio ita explicatur: res, quæ nunc est, immediatè post non erit) sed extrinsecè seu per primum sui non esse (quod sic explicatur: res, quæ immediatè ante fuit, nunc primò non est) per primum enim non esse ex præsentí fit præterita, & verè non est. Sic dicitur primum esse formæ esse primum non esse privationis. Et si res permanentes
inci-

inciperent per primum sui esse, & desinerent per ultimum sui esse, jam forma vetus erit simul cum forma de novo inducta. Illud hîc observandum: dum dicuntur res incipere & desinere in instante, per τὸ *instans* non intelligi aliquid indivisibile temporis (qualia indivisibilia negavimus dari in tempore) sed ipsum divisibile tempus, cui primum esse rei incomensurabiliter respondeat, sicut indivisibile spatio divisibili: ipsamquæ productionem substantiæ, aut qualitatis, quæ contrarium non habet, dici instantaneam, non quasi ipsa indivisibilis sit, respondeatquæ indivisibili temporis, sed quòd terminus hujus actionis non producat per partes, sed sit totus simul.

VIII. Nulla creatura, nequæ permanens, nequæ successiva potuit esse ab æterno. Primò enim, si tēpus aliudvè successivum fuisset ab æterno, jam fuissent infiniti anni, infinitæ cælorum circumvolutiones, in hoc infinito annorum præteritorum forent anni dispares & pares, & non forent; nullus enim erit par, cui alius non respondeat: in summa, argumenta ferè omnia supra allata contra infinitum categorematicum, pugnant contra
æter-

æternitatem rei successivæ. Quinimò ex eo-
 dem capite repugnat quoque, rem perma-
 nentem fuisse ab æterno, cum implicet eam
 fuisse ab æterno, quin ejus duratio (quæ est
 ens successivum) pariter fuerit ab æterno.
 Secundò in ente successivo datur pars inci-
 piens, alia desinens, sed repugnat aliquid ab
 æterno desinere, ergo repugnat dari ens suc-
 cessivum ab æterno. Minor probatur: illud
 non desinit ab æterno, cujus desitione datur
 quid prius, sed omni desitione datur quid
 prius, nempe ipsum esse rei; ergo. Similiter
 quod essentialiter includit prius & posterius,
 uti facit ens successivum, non potest esse ab
 æterno, cum enim posterius non sit tunc,
 quando est prius, sed sequatur post prius, si
 posterius non erit ab æterno, neque prius erit
 ab æterno, sed posterius non est ab æterno,
 cum illud præcedat prius, ergo nec prius est
 ab æterno, cum illud immediatè sequatur
 aliquid, quod non est ab æterno. Tertio,
 quod æternitatem rei permanentis oppugnat
 peculiariter: SS. PP. ex æternitate Verbi
 probant, illud non esse creaturam; sic enim
 habet D. Aug. Lib. contra Petil: *creatura
 est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquando non
 fuit:*

fuit : D. Athan. L. 3. contra Arianos : *propriū est creaturis, ut non sint, priusquam fiant, & ex non entibus ad naturam entium perveniant.* Unde bene dicitur, quòd productionē creaturæ præcesserit ejus negatio, adeoque hanc, utpote negatione sua posteriorem, non esse ab æterno. Ad hæc, lapis ab æterno creatus in aëre decem passibus à terra, non potuisset descendere in terram, nisi post tempus infinitum, aliàs sequeretur, rem æternam non præcedere temporalem nisi tempore finito. Implicat itaque aliquid ^{ab æterno} creari seu ex nihilo produci, quamvis non repugnet aliquid, quod æternitate increata æternum est, produci ab æterno, ut videre est in Verbo. Quare etsi creatura possit esse prius & prius, sive ante omne tempus determinabile, non tamen esse potest ante omne collectivè & indeterminatum tempus, quod est, eam esse posse ab æterno. Et licet Deus ab æterno habeat potentiam producendi creaturam, non habet tamen ab æterno potentiam producendi creaturam ab æterno ; sicut ego in tenebris potens sum videre, sed non videre in tenebris. Unde tamen non sequitur, Deum post æternitatem factum potentiozem, cum

cum potentiam, quâ producit aliquid in tempore, semper habuerit, etsi ab ea semper non processerit effectus, quem semper esse conjunctum causæ primæ ob rationes supra positas repugnat, qualiter eum esse cum causa temporali secunda, non repugnat. Neque omnipotentia Dei hinc dicitur æterna, quod illi ab æterno potuerit effectus aliquis coexistere, sed quia ipsa ab æterno fuit, potueritque semper prius & prius producere effectum.

DISSERTATIO XVII.

De Generatione & Corruptione.

I. **G**ENERATIO substantialis absolute & in genere spectata, est productio compositi substantialis dependenter à materia materialiter causante formam & unionem, vel solam unionem substantialem. Generatio Aristotelica, sive quæ ordinariè & viribus naturæ fit, est *mutatio* (intellige causalis) *totius in totum* (id est, unius compositi in aliud compositum substantiale, non quod per generationem ordinariam omnes compositi præcedentis partes destruantur, sed quod

quòd per illam ex materia remanente cum adveniente nova forma novum constituatur compositum) nullo sensibili remanente ut *subjecto eodem* : id est , non remanente priori composito ; hoc enim totum est subjectum denominationis, & quod per accidentia denominatur sensibile. Talis generatio non est transubstantiatio , per quam substantia panis transit in substantiam corporis Christi , & quâ speciebus corruptis, corpus Christi desinit esse ibi, & eo desinente à Deo creatur nova materia, ex eaq̃ue pro eodem tēpore educitur V. G. forma vermis ; quia hæc non est transitus præexistentis & remanentis materiæ ab una forma ad aliam. Similiter talis non est mutatio accidentalis , in qua manet idem subjectum, non tantum inhætionis, sed & denominationis. Item ea quâ Deus manente forma ligni unitâ materiæ, ex eâdem materia educeret formam ignis ; & quâ ex materia existente absq̃ue omni forma educeret formam aliquam ; nullum enim in iis corrumperetur subjectum. Illud hîc observandum , quòd generatio sic definita non satis distinguatur à creatione , etsi hæc ab Arist. dicatur ignorata ; si enim crearet Deus formam

mam

mam & unionem, adhuc esset verus transitus materiæ à non esse formæ unitæ seu à privatione formæ ad formam. Consistit hæc generatio, tam respectu hominis, quàm rerum aliarum in educatione unionis; hac enim posita, formaliter & ita resultat compositum, ut ne quidem divinitus impediri possit, sicut Deus positis alterationibus materiam disponentibus, imò eductâ jam formâ impedire potest, ne fiat compositum.

II. Generatio propriè viventis à vivente (qualis hîc non censetur ea, quâ vivens, v.g. mus ex putri generatur à Deo) est *origo viventis à vivente, conjuncto in similitudinem nature*: id est, est productio seu processio (sive ea sit causalitatis, qualis est generatio viventis creati, sive nō, qualis est generatio Verbi) procedens à vivente, quod, si immediatè per se ad productionem animæ vel unionis nō concurrat, aut materiam, ex qua educatur anima & unio vitaliter suppeditet, eandem ad minimum vitaliter elaboret, necesse est; qualiter adhuc plantæ semina elaborant, etsi ea dein vitaliter à se non decidant & terræ mandent: quod quia non fecit Deus, dum tulit costam Adæ, formavitquè ex ea Evam, genitor illius
dici

dici non potest. Coniungitur verò principium generans cum termino genito per hoc, quòd vel tota substantia generantis communicetur genito, uti fit in generatione Verbi, vel pars substantiæ à generante decidatur, fitque in genito, quæ ante fuit in generantæ: quod quia non fecit Deus, dum Angelos creavit, hi ejus filii naturales non sunt: nequæ gallina excludens ova aliena, horum pullorum est mater. Procedit genitum in similitudinem naturæ, dum in natura generanti assimilatur; quæ tamen similitudo non nimis strictè sumenda est, cum eadem natura divina Patris communicetur Verbo (quod perfectissimè filius est) idem autem sibi ipsi non possit esse simile; & mulus probabiliter differat specie à suis parentibus; ad quod tamen dicitur, similitudinem specificam in creatis per se semper intendi, etiam per accidens quandoquæ impediatur. Demum necesse est, ut genitum hanc habeat similitudinem vi præcisè generationis; sic enim bene explicatur, cur non etiam spiritus S. sit generatus, utpote procedens quoquæ à vivente conjuncto in similitudinem, imò identitatem naturæ;

nimi-

nimirum quia, cum procedat per voluntatem ut amor, vi suæ processionis non procedit in similitudinem naturæ (quæ formaliter est intellectio à se) sicut Verbum, quod, cum procedat per intellectum ut Verbum, seu intellectio subsistens, vi suæ originis primariæ & formaliter procedit in similitudinem naturæ generantis Patris.

III. CORRUPTIO substantialis formalis propriè est desitio compositi substantialis eodem subjecto remanente; seu est transitus materiæ ab esse formæ ad non esse illius. Talis erit solâ conservatione eductiva unionis deficiente. Ubi dubitant quidam, an in rigore dicenda esset corruptio, si deficeret cōservatio creativa unionis creatæ. Talis non erit, saltem in rigore, si subjectum quoq; destruat, uti fit in transubstãtiatione Eucharistica; quanquam dicant alii panem hîc adhuc corrumpi, eò quòd maneat aliquid panis, nempe accidentia. Similiter talis non erit juxta mentem plurimum, si Deus destrueret unionem vel formam, ob aliam causam, & non quia forma adveniens sic exigit. Dixi primò: corruptio formalis; corruptio enim causalis est ipsa actio, per quã forma nova unitur materiæ.

Dixi

Dixi secundò : substantialis; quod si omittatur, conveniet quoque corruptioni accidentali.

IV. CONVERSIO seu generatio conversiva requirit sequentia. Primò duos terminos positivos, unum à quo, qui & conversus dicitur, alterum ad quem, qui dicitur etiam convertens; & per hoc differt à mutatione in genere, ad quam satis est, quòd habeat terminum à quo vel ad quem negativum. Uterq; hic conversionis terminus est duplex: alius totalis seu denominationis, & est totum cõpositum, quod denominatur converti, seu quod desinit, & totum cõpositum, quod de novo incipit. Alius formalis, & est forma, vel quodcunq; aliud, ratione cujus incipiētis vel desinentis totum denominatur converti. Sic, dum ex ligno fit ignis, lignum est terminus totalis à quo, ignis totalis ad quem: formalis à quo est forma ligni, vel unio ejus cum materia ligni, formalis ad quem forma ignis, vel unio ejus: in Eucharistia, terminus totalis periens est panis cum suis accidentibus, totalis incipiens est corpus Christi cum iisdem accidentibus: formalis à quo est substantia panis, vel potius ejus unio cum

m dictis

dictis accidentibus ; formalis ad quem est corpus Christi , vel potius ejus unio cum iisdem accidentibus. Et consequenter necessariò quoq; in conversione reperiuntur duo termini negativi, nempe negatio formæ incipientis , à qua transitur ad negationem formæ pereuntis. Secundò requirit aliquod commune , quod ab uno termino transit ad alterum, sive sub quo, vel in quo unus terminus formalis desinat, alter incipiat, quod in Eucharistia sunt species panis , quibus desinit substare substantia panis , & incipit substare corpus Christi. Tertiò ut ratione illius tertii communis possidendi sit aliqua lucta inter binos illos terminus , unusque pereat ideò , quia alter incipit ; si enim desinitio prioris non contingat præcisè ob inceptionem sequentis , uti fit , dum intellectus à cognitione Petri transit ad cognitionem Pauli disparatam omninò & cum priori compossibilem , non est conversio, qualis est , dum intellectus ab affirmatione ejusdem transit ad ejusdem eodem modo sumpti negationem : sufficit etiam hanc repugnantiam horum terminorum esse moralem , qualis est inter monachisimum &

cano-

canonicatum, quæ physicè non repugnant in eodem subjecto, sed ex lege tantùm Ecclesiastica. Quartò requirit conversio, ut terminus totalis à quo simpliciter desinat, ad quem simpliciter incipiat; similiter ut terminus à quo formalis desinat, formalis ad quem incipiat, si terminus formalis dicatur esse unio cum isto tertio communi; secus, si termini formales dicantur esse ipsæ formæ, vel aliud quid incipiens & desinens: sic de facto enim, dum homo comburitur, non perit ejus anima, sed tantùm desinit ea uniri materiæ: dumquæ resurget homo in judicium, anima de novo non producetur, sed de novo unietur materiæ. Sic quoquæ in conversione Eucharistica opus non est, ut pereat substantia panis; imò opus non est, ut recedat ex eo loco, in quo est corpus Christi, sed tantùm, ut desinat uniri accidentibus suis.

V. MIXTIO, quæ hîc non accipitur pro locali confusione rerum plurium absquæ physica unione continuativa earundem inter se, aut certè manentibus singulis in sua specie, qualis est mistio hordei

m 2

cum

cum vitico, stanni cum argento, sed pro actione substantiali (intellige terminative) quâ plura corpora diversæ speciei, per mutuam actionem & reactionem alterata usque ad perditionem propriarum formarum, transferuntur in aliam tertiam substantiam, seu acquirunt tertiam aliquam formam; quod tertium ex hac nova forma & corporum alteratorum materia dicitur mixtum; ipsa vero, quæ deperditâ propriâ formâ incipiunt informari istâ tertiâ formâ, dicuntur miscibilia. Talis est mixtio, dum ex concursu & actione mutua terræ, pluvix, vaporum &c. generantur ranæ. Talis non est, dum unum elementum agendo in aliud victoriosè, convertit illud in se v.g. ignis aërem. Definitur ea, quod sit *miscibilium alteratorum* (intellige per mutuam in se actionem) *unio*: id est, unio cum forma aliqua tertia: vel quod sit generatio substantialis ex miscibilibus loco conjunctis & per mutuam alterationem ad corruptionem dispositis. Ita mixtio consistit formaliter in educatione unionis formæ mixti cum materia miscibilium, ita tamen, ut connotet hæc actio conjunctionem localem, continuationem,

tionem, alterationem factam ab ipsis miscibilium in se invicem actionibus in materia miscibilium; & per hanc connotationem distinguitur à simplici generatione. Vocantur nihilominus ea etiam mixta, quæ constant temperamento primarum qualitatum (qualia non sunt, in quibus prædominatur in gradu summo una tantum ex his qualitatibus) etsi per mixtionem propriè talem producta non sint.

VI. AUGMENTATIO substantialis, per quam substantia acquirit plures partes substantiales physica unione sibi conjungendas, sive id fiat per juxtapositionem, sive per intussusceptionem, est *motus à minore ad majorem substantiam*. Differt ab Accretione sive augmentatione accidentali, quæ est motus à minore ad majorem quantitatem. Ab opposita sibi diminutione, quæ est motus (intellige analogicè, cum ad negationem, qualis est terminus *ad quem* diminutionis, non detur actio seu motus) à majore substantia ad minorem. A generatione substantiali, quæ est productio novæ substantiæ simpliciter, quòd sit productio substantiæ solùm majoris, adeoq; jam supponat substantiã productam,

cui aliquid addit, propter cuius partis addendæ negationem substantia dicebatur minor. Nequæ obstat definitioni, quòd quandoq; vi caloris naturalis tantùm decedat substantiæ, quantum illi per augmentationem accedit, adeoq; hæc videatur non esse motus ad maiorem substantiam; per accidens enim id fit, eò quòd diminutio jungatur augmentationi, impediaturq; propter ablationem partium, non earum, quæ per augmentationem accedunt, sed aliarum, quò minus substantia dici possit fieri maior. Aliquando res augmentatur productâ solùm nova unione continuativa partis addendæ ad partem præexistentem, V. G. dum aqua aquæ additur. Aliquando productâ præter hanc unionem continuativam novâ tantùm parte unionis essentialis V. G. in nutritione hominis. Aliquando productâ insuper nova parte formæ V. G. dum ignis corripiendo materiam vicinam augmentatur. Licet autem augmentationem plures comitentur vel præcedant actiones V. G. productio novæ partis formæ (si ea materialis est) productio novæ unionis essentialis partis formæ de novo productæ cum parte materiæ aggenerandæ, productio
novæ

novæ partis unionis integralis materiæ de novo addendæ cū materia veteri, productio novæ partis unionis integralis partis formæ de novo productæ cum forma præexistente; ipsa tamen augmentatio in earum nulla præcisè consistit, sed in sola productione unionis continuativæ inter unionem essentialem partis de novo advenientis & unionem essentialem substantiæ præexistentis; positus enim reliquis omnibus, non habetur adhuc substantia simpliciter aucta seu augmentata; cū non habeatur materia, forma & unio essentialis auctior, quamdiu ipsa unio essentialis substantiæ præexistentis non augetur per sibi additam media unione integrali unionem essentialem partis aggenerandæ. Nequē ante hujus unionis integralis inter has binas unionis essentialis partes productionem informari potest unio integralis inter materiam advenientem & præexistentem (quæ tamen utpote aliquid materiæ informari debet) ab unione integrali inter partem formæ advenientis & præexistentis. In eo autem nihil est absurdi, quòd partes unionis essentialis continuentur inter se superadditâ illis

unione integrali ; etsi enim sint formalis ratio uniendi partes essentielles inter se , non sunt tamen formalis ratio uniendi partes integrales inter se seu seipsas, cum hæ partes integrales unionis essentialis ad uniendum inter se sint indifferentes.

VII. NUTRITIO species augmentationis, est motus factus ab anima à minore ad maiorem substantiam viventem ex vitali conversione alimenti. Distinguitur in multis, & in eo potissimum à generatione prima (etsi per eam quoq; producantur unà cum unione essentiali ejus uniones integrales non differentes specie ab unione integrali partium unionis essentialis per nutritionem productâ) quòd sit actio immanens & vitalis, generatio verò prima sit actio transiens. Est successiva & continua , sive dum fit, fit successivè sine interruptione (quæ fieret , si alimenti pars aliqua determinata aliquo tempore per alterationem disponatur, & dein in instante inducatur forma aliti, & postea iterum per aliquod tempus disponatur alia pars determinata alimenti, interruptâ interea nutritione, & tum iterum in instante inducatur forma) cum enim potentia

tentia nutritiva, utpote agens naturale, agat uniformiter difformiter, id est, prius & fortius in partes alimenti sibi viciniores meliusquè sibi applicatas, alias post alias indeterminatas alimenti continui partes alterat, ultimò disponit, ex iis formæ aliti partes, aut unionis solius educit, & ex hisce unionum essentialium partibus deniquè uniones earum continuativas. Nequè his obstat, quòd in prima generatione non inducatur forma, nisi quando tota materia est disposita; prærequiritur enim ante informationem primam totalem animæ certa corporis magnitudo & organizatio, quæ in nutritione jam supponitur facta, adeoque hæc fieri potest in quantacunque exigua materiæ parte. Nequè Arist. negat nutritionem hac ratione continuam, sed vult, eam non fieri continuè, id est, toto vitæ tempore. Porrò proximum alimentum viventium debet esse substantia, utpote reparativum jacturæ substantiæ; (hinc nec species Eucharisticæ nutrire possunt, nec odor, licet hic suscitet, confortet, recreet spiritus animales) eaque ex primis qualitatibus temperata (hinc pura elementa, ut-

m § pote

pote propter intensas qualitates à facultate nutritiva insuperabilia , esse non possunt alimenta) & quidem attemperata alendo, sive similis cum nutriendo , & ei convenientis tēperamenti; unde quæ uni profunt, alteri sunt noxia. Alimentum proximum sanguine præditorum est sanguis , qualis (etsi coagulatus) etiam videtur esse medulla , à qua ossa nutriuntur. Sic ipse ventriculus potius sanguine , quàm chylo nutriri censetur , quia & ad hunc exsurgendum suas venulas habet , & sic materno sanguine ipse nutritus fuit , antequam ipse chylum conficeret. Quòd verò obesi minus sanguinis habentes plus nutriantur , inade est , quòd apud illos sanguis resolvatur in vapores , qui dein ulterius formantur in adipem.

VIII. ALTERATIO latè sumpta est motus ad qualitatem , seu mutatio rei secundùm qualitatem , qualiscunquè ea sit. Accepta strictiùs est motus ad solas qualitates habentes contrarium, (non tantùm directè contrarium , qualis est nigredo respectu albedinis, sed & medio modo , qualis est viriditas respectu albedinis)

dinis) sensibiles, corruptivas, id est, disponentes ad generationem & corruptionem. Consistit & illa, non in productione harum qualitatum, sed in ipsa unitione earundem cum subjecto; hoc enim priusquam illis unitur, non potest dici alteratum. Alteratio accepta strictius, per se loquendo est successiva, ob resistantiam contrarii: terminata vero ad qualitatem non habentem contrarium, est ideò solùm successiva, quia successivè partibus passi applicatur. Item ea per se loquendo est continua & sine interruptione. Arist. autem negans, alterationem esse motum continuum, dicensque eos, qui dicunt rem continuò alterari, rebus etiam perspicuis ad-versari; per tò *continuum* intelligit *perpetuum*; oppugnat enim eos, qui censebant, omnia perenni motu agitari, neque ullo tempore sub ulla forma quiescere.

IX. INTENSIO qualitatum (suppono enim nec quantitatem, cujus plures partes nequeunt esse in eadem subjecti parte, nec relationem, ratione cujus præ-

cisè aliqua non dicuntur sibi magis vel minùs similia , sed ratione rationis fundandi intensioris ; nec actionem , quæ non nisi ratione termini intensioris una alterâ est intensior, capacem esse propriè intensioris) dici potest , quòd sit motus à minùs tali ad magis tale ; & opposita ei remissio, quòd sit motus (intellige analogicè) à magis tali ad minùs tale. Non fit primò formaliter per majorem depurationem subjecti à contrario ; (etsi hæc naturaliter ei conjuncta sit in qualitatibus habentibus contrarium) intenduntur enim verè qualitates non habentes contrarium , ut lux : & gratia sanctificans in homine justo intenditur absquè eo , quòd depuretur ille à peccato. Ad hæc depuratio seu expulsio contrarii V. G. frigoris est mera negatio seu desitio , & esse potest supernaturaliter absquè eo , quòd intendatur qualitas opposita V. G. calor : & quò magis intenditur calor , eò magis expellitur frigus , atqui illud totum semel expulsum non expellitur iterum ; ergo expellitur per partes : ergo sicut in remissione pars una post alteram expellitur , ita in intensione pars una post aliam producetur. Secundò non

non fit per amiffionem totius qualitatis imperfectioris, & per productionem perfectioris adæquatè à priore diftinctam; cum enim gradus intenfus nullam habeat contrarietatem cum gradu remiffio, fed potiùs naturalem confenfum, cur hic adveniente illo periret? Certè fi fic fit intenfio, jam etiam fiet remiffio per amiffionem qualitatis perfectioris & productionem novæ imperfectioris: quis ergo, dum calor aquæ ferventis in medio nivis locatæ remittitur, producit illum calorem imperfectiorem perfectiore deperdito? non aqua, cui ille calor eft violentus; non nix, quæ nullius caloris vim productivam habet; non calor perfectior, qui deperditur, cum ille primò non fit, dum calor ille imperfectior primò eft; non Deus, ad cujus enim exigentiam ille hoc faceret? non frigoris, utpote quod tantum exigit, ut fubtrahatur concursus ifti parti caloris, quæ conjuncta cum reliquis faciebat calorem pugnare fecum. Præterea dabitur mutua caulalitas inter qualitates in fe invicem agentes, feque mutuò debilitantes; dum enim manus calida calefacit manum frigidam, & hæc vice verfa frigefacit calidam, calor manus A,

qui est causa remittens frigus in manu B, producit minus frigus priori frigore destructo, è contra frigus manus B, quod est causa remittens calorem in manu A, producit minorem in manu A, & hoc quidem pro eodem instante, sed hoc minus frigus non potest produci à calore intensiore manus B, utpote qui perit eodem instante, ergo à minore calore, qui minor calor eodem instante producitur à minore isto frigore; à majore enim frigore produci nequit, cum & ipsum pereat pro eodem instante. Nequè obstat, quòd in motu locali nova ubicatio non acquiratur, nisi per dita veteri; hoc enim fit ideo, quia mobile ubicari non potest simul in duobus locis adæquatis, vel in uno adæquato, & simul in alio inadæquato. Tertio non fit per majorem radicationem ejusdem indivisibilis qualitatis in subjecto sine ulla novæ partis productione; malè enim dicitur hæc radicatio major consistere in eo, quòd producat perfectior qualitatis existentia, manente eadem ejus essentiâ, quia malè essentia ab existentia distinguitur; & cum existere, sit rem totam positam esse extra causas, & deservisse

ruisse adæquatè statum puri nihili, quomodo poterit, quod semel positum est extra causas, magis & magis poni extra causas? adhæc vis, activa qualitatis intenditur, sed hæc secundum adversarios non est rei existentia, sed essentia: malè item dicitur, consistere in perfectiore eductione ejusdem qualitatis è subjecto; quomodo enim qualitas, quæ utpote indivisibilis, juxta adversarios tota simul educitur, potest dein magis educi? & quomodo eductio erit perfectior, cum neque terminus ejus, neque principium, neque passum fiat perfectius? Malè iterum dicitur, consistere illam in perfectiore unione ejusdem invariatae qualitatis cum subjecto; vel enim producitur nova unio prioris pereunte, & jam redeunt rationes allatae contra præcedentem sententiam, vel nova pars unionis prioris unione manente, sed frustra hæc additur, nisi & addatur nova pars unienda. Præterea de fide est, ut patet ex Trid. Sacramenta collata homini justo conferre novam gratiam, adeoque non tantum perfectiorem gratiæ præexistentis unionem cum anima. Deniq; generaliter hanc opinionem oppugnat, D. Tho. teste Mauro hinc

q. 27. dum ait: quòd quidam dixerunt, charitatem non augeri secundum essentiam, sed solum secundum radicationem in subjecto, vel fervorem, hi vocem ignorarunt. Fatemur nihilominus, eundem ipsum hunc S. Doct. explicare intensiorem per majorem radicationem, sed longè aliter explicandam, nimirum, quòd fiat per partes plures acquisitas, sicut arbor tunc magis radicatur, quando plures radicum partes acquirit.

X. Verùm fit intensio (qualis non est, dum motui tardo velocior, motus enim manens idem ex tardo nequit fieri velocior, dum figuræ minùs curvæ magis curva, eadem enim ex minùs curva non potest fieri magis curva, dum actui remissiori substituitur intensior; idem enim actus vitalis, saltem respectu actionis propter modum tendendi variatum non potest esse intensior & remissior) per novorum graduum seu partium intensivarum qualitatis ex eadem subjecti parte educatarum unionem inter se & cum subjecto; Ita enim, ut habet Arist. ex calido aliquid fit magis calidum, sicut ex frigido fit calidum, sed ex frigido fit calidum per productionem novi caloris: sine quo novo calore non poterit

terit intensioni, quæ est vera actio, assignari, verus & positivus terminus. Nequè Arist. contrarius est nobis, qui non docemus, calidum fieri magis calidum accedente novo calido, sed accedente novo calore. Nequè D. Thom. qui negat solum, (ut patebit legenti totum textum) se posse capere, quomodo possit intendi qualitas præexistens in una parte subjecti per additionem alterius totalis qualitatis subjectatæ in diversa parte subjecti: & alibi nihil vult aliud, quàm charitatem non posse augeri per charitatem translata ex uno subjecto, & uniri alteri præexistenti in altero subjecto; & hæc ejus mens ex eo patet, quod addit: non posse charitatem distinctam addi charitati distinctæ, nisi mens rationalis menti addatur, id est, anima animæ, & ex eo, quod addit: *sed augetur (intellige charitas) intensiois gradus recipiendo*: aperte se nobis favere demonstrat. Unde licet plura accidentia totalia inter se non continuata, solo numero inter se distincta esse nequirent in eodem subjecto (quod ipsum universaliter verum non est; cur enim duæ cognitiones solo numero distinctæ, duæ species duorum objectorum solo numero

mero

mero distinctorum esse non possent in eodem intellectu) nil tamen vetat, quò minus duæ partes solo numero inter se distinctæ, continuatæ inter se, possint subiectari in eadem subiecti parte. Similiter licet terminus adæquatus à quo intensiōnis (qui est qualitas remissa quatenus habet negationem qualitatis intensæ, seu partis per intensiōnem addendæ) sit impossibilis adæquatè cum termino adæquato ad quem intensiōnis (quia hic dicit eandem qualitatem remissam & additam illi partem, cuius ille adæquatè spectatus dicebat negationem) terminus tamen inadæquatus à quo impossibilis non est cum termino ad quem adæquato.

XI. Gradus hi intensiōnis sunt homogenei seu similis omnino perfectionis solo numero inter se distincti, ita, ut gradus, qui de facto est octavus, potuerit esse primus vel secundus, & quòd sit, seu denominetur octavus, purè tantùm & extrinsecè oriatur ex eo, quòd sit posteriùs, nimirum post alios septem, inductus: non heterogenei seu diversæ rationis, ita, ut in uno intrinsecè sit aliquid, quod non est in altero, & quòd gradus

gradus hic sit octavus, hoc oriatur ex intrinseca natura seu conditione hujus gradus, sitque ita illi essentialiter, ut non potuerit esse primus vel secundus &c. Posito enim tali gradu heterogeneo. V. G. secundo caloris in subiecto absque primo, vel erit illud calidum ut duo, absque primo gradu, & consequenter hic erit supervacaneus: vel non, & sic gradus secundus non est essentialiter calor ut duo, aliàs fieri nequiret, quin subiectum denominaret calidum ut duo. Ulteriùs, sex candelarum in conclavi in circulum, dispositarum singulæ, ut pono, producunt unum gradum lucis in centro conclavis, adeoque singuli gradus lucis à singulis candelis producti sunt homogenei, sed hi gradus luminis simul accepti efficiunt lumen in medio conclavis intensius; ergo gradus homogenei faciunt intensiorem. Hinc primò qualitas intensa est perfectior & activior, quàm qualitas remissior, sed extensa magis, seu habens plures partes extensivas, non quòd constet partibus entitativè perfectioribus, & ex intrinseca virtute activioribus, sed quia constat partibus propter modum existendi conjunctim activioribus

juxta

juxta illud: vis unita fortior: adeoque, si partes extensivæ per totum subjectum diffusæ unirentur sibi invicem in eadem parte subjecti, fierent ad operandum potentiores. Ex qua tamen partium extensivarum & intensivarum entitativa homogeneitate non sequitur, calidum ut unum trium palmorum, potens reddere subjectum trium palmorum calidum ut unum, redditurum subjectum unius palmi calidum ut tria, adeoque dissimilaturum sibi passum: nam ideo tantum producit in singulis palmis sub, sti trium palmorum calorem ut unum, quia singuli calefacientis palmi singulis passu palmis per approximationem correspondent, qualiter singuli non respondent & approximantur isti uni palmo subjecti unius palmi. Hinc secundò gradus octavus caloris secundum se & seorsim sumptus non magis opponitur gradui primò vel cuicumque alteri contrariæ qualitatis seorsim accepto, quam gradus septimus vel quiscunque alius seorsim acceptus, sed tantum acceptus collectivè cum reliquis septem opponitur primo, sicut & septimus acceptus collectivè cum reliquis sex opponitur secundo collectivè accepto cum primo

mo &c. Dum autem introducto uno gradu frigoris (qui indeterminatè solùm exigit expulsiõnem unius gradus caloris) expellendus est unus gradus caloris , determinabit Deus, num primus, num secundus, aut quis ex aliis sit expellendus: vel dic ; extremos utrimquè gradus primò expelli, id est, primum & octavum, si duo expellendi sunt, vel mediam partè primi & mediã partè octavi, si unus est expellendus, idquè ideo, quia natura procedit facillimã viã, faciliùs autem est postremos gradus destruere, quàm medios propter unionem, quam habent utrimquè ad alios, fortiùs resistentes. Hinc tertio calidum ut unum habet vires ad producendum entitatem, quæ est gradus septimus vel octavus, in subjecto, quod nullum habet gradum caloris, non habet tamen vires producendi illam gradus septimi entitatem in subjecto habente gradum unum caloris, quia non potest sibi dissimilare passum. Nequè his obstat, quòd partes homogeneæ quantitatis unitæ eidem subjecti parti non reddant id magis quantum; præterquam enim, quòd nequè id facerent partes heterogeneæ quantitatis, quantitas non suscipit *magis & minus.*

minùs, redderetquè hæc duplex quantitas illud subjectum, quasi duplici titulo exigens extendi impenetrabiliter.

XII. In alteratione strictè tali, alia datur resistantia activa, & est ipsa vis activa qualitatis, quâ agit in contrarium, illudquè debilitat. V. G. calor producendo in agente contrario, nempe frigido, calorem, perquè cum minuendo frigus, adeoque activitatem ejus: alia formalis, & est eadem qualitas, quatenus per unionem sui cum subjecto impedit unionem contrarii cum eodem subjecto. Resistit quandoquè qualitas formaliter tantùm, v. g. dum aqua ideo se reducit ad frigus paulatim, quia calor, non quidem producendo aliquid in aqua, sed per suam entitatem & unionem exigendo, ne frigus inducatur, illud impedit; sæpè autem resistit & resistantiâ formali, & activâ. Potentior autem est activitas agentis, quàm resistantia activa reagentis seu passi, cum hoc pauciores gradus expellat ex agente, quàm illud inducat in passum; & quia major est agentis activitas, etiam magis exigit productam à se qualitatem unire subjecto, quàm reperta in eodem subjecto qualitas contraria
exigit

exigit productam ab agente contrario qualitatē contrariam, non uniri subjecto; & nisi sic fiat, non fiet unquam alteratio. Resistētia tamen formalis, quā agens resistit reagenti, minor est resistentiā activā seu activitate suā, sive fortiū agit in passum, quā eidem reagenti resistat formaliter. Cujus hęc videtur esse ratio, quod qualitas existens in gradu intenso, etsi sit magis activa, minū tamen ipsa exigit, sibi uniri gradus intensos, quā remissos, cum per ademptionem intensorum graduum non sit ita vicina corruptioni, quā per ademptionem remissorum, quodque subjectum (si qualitas debilior sit ejus proprietas) fortiū conservet eam, quō magis ea appropinquat corruptioni, etsi de cætero in aliis circumstantiis subjectum uniformiter conservet sua accidentia.

XIII. Datur quoque sæpe in alteratione reactio & repassio, id est, mutua actio & passio agentis in passum, & passio in agens, etiam secundum eandem contrarietatem & partem passio. Ubi id observandum, illud hęc dici simpliciter agens, quod agit cum victoria, illud verò passum, quod

VIA-

vincitur; quod quoque dicitur reagens, & actio illius, quatenus ab ipso procedit, reactio, quatenus in agente victorioso recipitur, repassio; sicut actio agentis victoriosè, quatenus ab ipso procedit, simpliciter dicitur actio, quatenus recipitur in victo, simpliciter dicitur passio. Ratio affertur est, quod ubicunque sunt duo agentia naturalia, quorum utrumque capax est formæ & effectus ab altero producendi, debite sibi applicatæ, in se mutuò agant: & quod ex eo, quod ex illis unum in activitate sit imbecillius, non sequatur, illud tantum pati, sed tantum, illud non agere cum victoria. Ubi tamen observandum est primò: ferrum candens, dum calefacit aquam, à qua repatitur, non secundum omnes partes caloris, sed secundum eas tantum influere in calefactionem, secundum quas non corrumpitur à passo re-agente; partes enim quæ à re-agente frigore corrumpuntur, eodem instante primò non sunt, dici nihilominus adhuc totus calor agere, non quidem in sensu composito, sed diviso, id est, non manens totus. Secundò: nunquam agens propter hanc passi reactionem posse sibi omnimodè assimilare passum

(ne-

(nequè enim agens univocum, semper omnimodam, sed tantam, quanta illi à contrario conceditur, intendit similitudinem) quanquam & causare poterit hanc omnimodam cum passio similitudinem, secundùm gradus, secundùm quos agit, & qui post actionem remanent v.g. calidum ut quatuor per reactionem frigoris amittens v. g. unum gradum caloris, poterit passum reddere calidum ut tria, quale remanet ipsum post hanc actionem. Tertio idem secundùm eandem qualitatem adæquatam non vincere, & vinci, sed secundùm unam partem, quæ per reactionem corrumpitur, vinci, secundùm alias remanentes vincere; illud autem simpliciter dici vinci, cujus plures expelluntur partes. Quarto; dum primus palmus ignis tripalmaris ad motus glaciei, ab ea frigesit, eundem palmum à secundo tertioquè palmo ignis sibi unito non calefieri, adeoque non moveri motibus contrariis; etsi enim palmus secundus seu pars non passa repassi de se sit caloris productiva, etiam primo palmo sufficienter applicata, non agit tamen in illum seu in hanc partem passam, (nisi fortè gradus reliquos caloris in eo conservando) quia impeditur,

n

tura

tum per resistantiam formalem & activam gradus contrarii jam inducti, tum per resistantiam agentis contrarii activam gradum inductum conservantis. Quintò: dum ignis & glacies agunt in se invicem, si sint ejusdem activitatis, in aëre intermedio calido & frigido ut quatuor, nullam ab iis novam qualitatem producendam esse, sed ignem ejus calorem, glaciem ejus frigus conservaturam; igne verò prævalente, inducentequè in glaciem gradum quintum, glacies solum conservabit in aëre medio tres vel duos reliquos gradus frigoris.

XIV. RAREFACTIO & CONDENSATIO primò non sunt motus ad majorem vel minorem quantitatem; hæc enim utpote materiae coæva est ingenerabilis & incorruptibilis; manet ejus causa conservativa materialis & efficiens, nempe materia prima, nullumquè habet contrarium exigens ejus destructionem. Ad hæc, ista nova quantitas aut quantitatis pars debet educi, vel è materia, totâ, vel ex ejus parte, quæ absquè dubio jam ante suam habuit quantitatem, adeoque jam accipit duas quantitates penetrantes se in eadem subjecti parte, vel si adveniente hac no-

va quantitate aut ejus parte, vetus desinit, jam sine modo & sine multiplicatur & pereunt entia, cum singulis propè momentis aër aliquantum incalescendo vel frigescendo rarefiat vel condensetur. Nec secundò bene explicatur rarefactio, quòd per eam intra poros aliasque vacuitates relaxatas, & partes discontinuatas corporum intromittantur atomi, vapores, aëris partes, aliave peregrina corpuscula, sicut in spongiam aër & aqua intromittuntur, quæ dein per condensationem iterum expellantur. Arist. enim inquit 4. phys. tex. 84. *est corporis magni & parvi* (intellige, ob densitatem parvi, ob raritatem magni; hac enim de re l. c. tractat Arist.) *materia eadem, manifestum est autem, cum ex aqua factus est aër, eadem materia* (quæ sub forma aquæ parvum occupabat, nunc verò sub forma aëris magnum occupat spatium) *non accipiens insuper aliquid aliud* (intellige, non intromittens intra poros suos aliam corpusculorum materiam) *facta est, intellige, aër occupans majus spatium. Et manifestius paulò post: magnitudo & parvitas sensibilis molis, non insuper accipiente aliquid materiâ, extenditur,*

sed quia potentiâ est materia utriusque; quare est idem densum & rarum, & una ipsorum materia est &c. Et quomodo jam rarum, ut docet Arist. sub magnis dimensionibus habebit parum materiae, si fiat tale per accessionem multae materiae istorum corpusculorum? quomodo densum sub parvis dimensionibus habebit multum materiae, si per exclusionem materiae istorum corpusculorum fiat tale? Ad hæc, dum pulvis nitratus in tormento accensus tam immensum rarefit, quâ viâ, tam celeriter, tanta corpusculorum copia, tanta vi, tam grandes globos evibrans, ingreditur? Certè dum in vitreo thermometro aër rarefit, nec minimus porus aëri, aut alteri corpusculo ingredienti patet, vel si vel minimus patet, aqua nunquam ascendet, relicta à condensato rursus aëre spatium occupatura. In cucurbitis scarificatoriis, nunquam assurgit caro repletura spatium desertum ab aëre prius rarefacto, nunc condensato, si rarefactio hæc facta fuisset per ingressum aëris aliorumve corporum; hæc enim ipsa expulsa per condensationem hoc spatium occuparent; Quibus non negamus, sæpe cum rarefactione corporum aliorum intronissionem

con-

conjunctam esse, sic lac fervescens in multas bullas aëre plenas assurgit, & aliquæ etiam ejus partes in tenuissimos vapores mutantur, sed negamus, rarefactionem in iis consistere, cum partes omnes rarefiant, nequæ tamen bullæ inter omnes interponantur.

XV. Sed sunt rarefactio & condensatio Alterationis species, terminatæ ad radicalem raritatem & densitatem, quæ teste Arist. 7. phys. tex. 11. sunt qualitates, exigentes & determinantes materiam & quantitatem (quæ secundum se solum exigit talem extensionem, vi cujus habeat partes extra partes) ad majus vel minus spatium occupandum, quæ actualis extensio major vel minor quàm talis est raritas, vel densitas actualis, proprietas & effectus secundarius raritatis & densitatis radicalis, quamvis ut præcisè extensio est, vi cujus partes materiæ & quantitatis non penetrantur, effectus secundarius sit quantitatis. Et sic bene explicatur, quomodò eadem materia & quantitas. V. G. palmus, qui per condensationem correspondet palmo spatii absquæ partium penetratione, dein rarefactus, correspondeat tribus palmis spatii absquæ existentia rei in pluribus locis; dum

n 3

enim

enim ratio loci adæquati mutatur ad mutationem raritatis & densitatis, ita ut locus, qui quantitati existenti sub densitate erat adæquatus, sit eidem rarefactæ inadæquatus, omnesquæ partes materiæ & quantitatis mutant locum (nulla enim assignari potest, quæ adæquatè retineat priorem locum, etsi aliquæ inadæquatè eundem retineant v. g. partes aquæ fundo lebetis contiguæ) vitatur posterius, nimirum existentia ejusdem rei in duobus locis. Dumquæ per condensationem pars una quantitatis non recurrit ad locum alterius manentis in eodem loco (quod ad penetrationem requiritur) sed omnes partes mutant locum, occupentquæ minorem, vitatur prius, nimirum penetratio plurium partium. Bene item explicatur, qua ratione partes omnes in rarefactione magis à se distent, quàm ante, absquæ eo, quòd discontinuentur per interpositionem aliorum corpusculorum aut vacuitatum, dum dicitur, quòd omnes partes, quæ mediatè tantùm, sive mediantibus aliis partibus sibi jungebantur, per rarefactionem à se invicem incipiant magis distare, quia hæ mediæ partes, ob quas antea
mi-

minus spatium occupantes, minùs distabant inter se partes mediatè conjunctæ, per rarefactionem majus spatium occupant: & quòd partes, quæ ante rarefactionem immediatè se contingebant, erantquè à se invicèm indistantes, post rarefactionem à se invicèm non recedant, nisi inadæquatè, utpote quæ in infinitum sunt divisibiles, quales quoq; sunt earum uniones, adeoq; semper magis magisq; inadæquatiùs & inadæquatiùs à se recedere possunt absquè eo, quòd adæquatè divellantur. Illud hìc observandum, quòd etsi raritas & densitas dici possint qualitates paribiles, non esse tamen propriè invicèm contrarias, sed habere se in eodem subjecto, ad modum qualitatis magis & minùs intensæ, ita ut, dum hæc qualitas remissa est, sit densitas, dum intensa est, dicatur raritas.

* * *
* *